Terenzoni

17/9/82

DE MORBIS UTERI

DE MORBIS UTERI OPUS

REGIÆ CELSITUDINI

JO: GASTONI

MAGNI PRINCIPIS ETRURIÆ

DICATUM

AB JO: ANTONIO TERENZONI,

IN ALMA UNIVERSITATE PISANA

Medicinæ Theoricæ Professore.



LUCÆ MDCCXV.

Typis Peregrini Frediani.

SUPERIORUM PERMISSU.

REGIÆ CELSITUDINI
JO: GASTONI
MAGNI ETRURIÆ PRINCIPIS

JO: ANTONIUS TERENZONI

S. P. D.



UM Librum hunc ſcriberem animo illum edendi, nec diu, nec multùm, ut pleriſque Scriptorum uſu venit, mecum cogitavi, quemnam ex omnibus unum eligerem, ſtatueremque, cui qualecun-

que

que hoc Opuſculum ſit, dicarem, quòd uni ex hac Principe Familia Medicea jure optimo deberi facilè, ac ſemper judicaſſem : ſed cum res ita ſe habeat, Cuinam, quàm Celſitudini Tuæ, totam in Te adamuſſim Proavorum Tuorum ſpeciem exhibenti, eorumque gloriam in dies augenti illud conſecrarem? Terruit, fateor, Celſitudinis Tuæ Majeſtas; verùm cum Comitas illa, qua jam in omnium animis regnas, antequàm imperes in Throno, blandè me erubeſcentem invitaverit, parùmque Tuæ oblitus Dignitatis Humanitati Tuæ licet tenue hoc obſervantiæ meæ monimentum ab hac excipiendum, ab illa defendendum obtuli. Cui revera ſpem non faciet illa planè Tua Regia Benignitas, qua omnium Animos ſempiterno nexu Tibi devinciens Bonis omnibus placuiſti? Maximo es, Regalis Princeps, Tuarum Virtutum dignus præconio,

ta-

tamen Facilitas, & Humanitas Tua maximè laudanda, quòd non minùs hominem Te, quàm inter homines debere verſari tanquàm Principem cogites, atque adeò unus difficillimam illam ſocietatem Humanitatis cum gravitate videris eſſe conſecutus. In quo cum Te minùs, quàm par eſt, laudo, juſtè ego non reprehendar, propterea quod omni laude major ſis, qui Tua omnia dicta, & facta ad ſummæ Virtutis normam ſemper direxeris; neque aliud cogitaveris unquam, quàm agere omnia, quæ ſuperant noſtras vulgares laudes. Neminem quidem latent ſummi Animi Tui dotes, præſertim ſingularis Pietas Tua, qua optimum Patrem mirificè refers. Quid enim Coſmo Tertio Religione, cæteriſque Chriſtianis Virtutibus antiquius? Cum igitur Patrem, cujus vita eſt Virtutum exemplar, morumque cenſura, ſicut & Regium

Fra-

Fratrem Tuum Ferdinandum, nuper è vivis ereptum, cujus magis funere tota angeretur Etruria, nisi Te Regali Solio successisse intueretur, tam pulchrè, & publicè imiteris, non improber ego, si uni, atque alteri Te tertium in meorum Opusculorum editione adjunxerim. Primum igitur Cosmo Duci Magno, & alterum Ferdinando jam Etruriæ Principi, tertium hoc, de cujus sententia, consiliove confectum erat, Tibi debuit digno Maximi Patris Filio, Magnique Ferdinandi Fratri nuncupatum exire, & in vulgus emanare: atque ut in illis primis duobus Libris quamvis haud fore speraverim, ut quidquam laudis ex mea Regiæ Celsitudini cùm Genitoris, tum Germani Fratris Tui accederet, quantulus enim sim, probè novi; tamen volui constare animi mei sententiam de Religiosissimis Principibus, utque probaretur Judicium, si

inge-

Ingenium probari minimè poſſet; ita volui in hoc reliquo Opere meo ſummam, & ſingularem meam erga Celſitudinem Tuam obſervantiam teſtatam eſſe: ſolùm reſtat, ut officium hoc meum ab optimo animo, Tuique ſtudioſiſſimo profectum ſerena ea, qua ſoles omnia, fronte accipias, & in ea Gratia tecum, quam mihi retinere æternum cupio, facias, ut ſim, quemadmodùm pro Tua Pietate, & Clementia adhuc feciſti. Hoc eſt, quod Celſitudinem Tuam etiam, atque etiam obteſtor, humiliterque obſecro: quod ſi feceris, ampliſſimum laborum, vigiliarumque mearum fructum conſecutus ero. Vale, & ut diutiſſimè valeas non tam mihi, quàm Bono publico, & Sceptro, cui natus es, Deum ſummoperè deprecor.

LECTORI BENEVOLO
AUCTOR.

AFfecti Uteri habitudinem præter naturam quamvis celer, & promptus ad intelligendum ſis, ſicut es, Amice Lector, tamen ante non attinges, quàm naturam, vim, atque uſum minutiſſimarum ejus partium perſpectum habeas, ac planè cognitum; mixtionem item prorsùs calleas liquidorum vitio illabentium, impetum, & ſecretionem. Hujuſmodi autem cryterium ubi ritè confeceris, continuò ad fluidorum, quibus ſcatet Uterus, ad perturbati motus ſpirituum, & humorum notionem per quoſdam quaſi gradus mens tua perveniet. Itaque id jam indè à principio hujus Operis ſcitè animadverti, & conſtanter mihi perſuaſi, quòd ſi ad rem hanc reconditam, atque adeò multiplicem expediendam, inque apertam, publicamque lucem proferendam, animi, ingeniique mei, quantulum iſtud eſt, nervos omnes intenderem, & cunctas profunderem vires, ſuſceptumque opus tibi, aliiſque omnibus, qui tecum ad manus id ipſum habuerint, hoc utilius futurum, quò uni mihi laborioſius. Cum enim omnem meum laborem potiſſimùm in eo conſumpſerim, ut dum præſens Tractatio emanabat in vulgus, in legentes interea ex illiberalibus, ſeu ut vocant, Mechanicis fontibus documenta plura derivarem; non vereor, ne inſtitutum meum non probetur iis, qui ſeduli ſunt naturæ corporis Inveſtigatores; qui ſi minùs doctrinam laudaverint, doctrinæ quandam novitatem tamen fortaſsè non improbabunt. Etenim eo conſilio animum ad

ſcribendum non impuli, ut vel aliena recocta referrem, vel, ut nonnulli ſolemne habent, in aliorum animadverſionibus, veluti in ſcirpo, quod dicitur, nodum quærerem. Verùm ut ea, quæ difficiliora quidem intellectu, at non ſatis etiam, ut ego ſanè arbitror, explanata, diligentiùs expenderem, atque apertiſſimè, & pleniſſimè explicata tibi attentiùs conſideranda proponerem. Frequenti enim cadaverum inciſione magiſtra, cognovi Mulieres quandòque aliis Uteri Morbis circumveniri, & diverſis in locis vexari, quàm aliqui Scientia Medica benè gnari, ac ejuſmodi affectionum æqui cæteroquin æſtimatores ſuis in operibus obſervarunt, quæ typis excuſſa in lucem emiſerunt. Quarè laborem meum cùm juvandæ Reipublicæ, tum in primis Mulierum periculis ſublevandis impertire lubens decrevi. At ne quiſpiam, quæsò, hoſce voluntatis meæ, ſtudiique conatus priùs redarguat, vel condemnet, quàm eos ex arte perpenderit, & doctæ lanienæ, prudentiſque obſervationis momento examinarit. Nam qui diuturnam mentis, & oculorum animadverſionem, diligentiamque excitaverit, armaveritque inſuper manum cultro ad Uterum ex Anatomices Diſciplina diſſecandum, is proculdubio, etiam ſi antea operam meam inſaniam reputaverit, in lucro poſteà maximo ponet; atque is unus ſtudium me inutiliter locaſſe calumniabitur ex eorum numero, qui nihil, niſi quod ipſi ſentiunt, rectum putant. Jam verò tu, quæ in hoc commentario aguntur, accuratè diſpicias, ut multum, quod inveſtigatione dignum eſt, & adhuc latet, ſenſuum miniſterio clarè, dilucidèque perſpicias. Hæc autem eò libentiùs exhibeo tibi, perhumane Lector, quò ar-

ardentiùs experto Archiatro Jo: Mariæ Lancisi, intimoque Cubiculario Clementis XI Pontificis Optimi Maximi, Petri claves nunc feliciter obtinentis, acris admodùm judicii Viro, morem geram, qui plures ad me literas dedit sale humanitatis sparsas, plenasque benevolentia, quibus, ut si quæ de infimi Ventris Morbis haberem, publici juris facerem, hortabatur; expectationi verò tuæ sin minùs responderint, ea saltem alios ad veriora inquirenda excitabunt. Nam in rebus, quæ in dubium venire possunt, quæque plurimum difficultatis habent, causas, observationes, ac experimenta multa proferre eatenus absurdum non est, quoad una inveniatur, in qua mens veritatis avida conquiescat, quemadmodum satis scitè, atque venustè cecinit Titus Lucretius his versibus,


Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere causam
Non satis est, verùm plures, undè una tamen sit.

Cum autem in scænam pluries adduxerim Sales Acidos, me non latere scias velim, Sententiam istam, cui aliquot ab hinc annis tot Clarissimi Viri se subscripsere, ab æquè Clarissimis, re maturiùs paulatim examinata, non levibus argumentis revocatam esse maximè in dubium; nullumque in sanguine Acidum ab expertissimis Recentioribus reperiri. Usus ea sum ad ampliorem rerum harum explicationem Medicæ eruditioni, genioque Credulorum indulgens, cum, si adsint Acidæ particulæ in sanguine, evenire oporteat, quod indicavi; sin minùs, non tamen corruat meus Liber, cum illis non mordicùs totus inhæreat; & sublata una ex pluribus recensitis Morborum causis, reliquæ non paucæ supersint. Vale.

Ex

EX commiſſione Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Octavii Archidiac. Sardi, Lucanæ Diœceſis Vicarii Generalis ſtudioſè recognovi Librum, cui titulus: *De Morbis Uteri* à Joanne Antonio Terenzoni, in alma Univerſitate Piſana Medicinæ Theoricæ Profeſſore compoſitum, & in eo nihil Catholicæ veritati, ac bonis moribus diſſonum reperi; quapropter dignum luce eum cenſeo.

Ego Fr. Joſeph de Valico Ord. Min. Obſerv. Sac. Theol. Lector Jubilatus.



Imprimatur.

OCTAVIUS ARCHIDIAC. SARDI VIC. GEN.

ALBERTUS SERGIUSTI ILL. OFF. SUPER JURISDICT. PRÆP.

IN-

INDEX
CAPITUM.

Si-

Sicut & ego amo quod dicunt, quandò verum dicunt, non quia ipſorum eſt, ſed quia verum eſt, & ideò jam nec ipſorum eſt, quia verum eſt. Igitur ſi amant illud, quod verum eſt, jam ipſorum eſt, & meum eſt, quoniam in commune omnium eſt veritas amatorum. Auguſt. de Confeſ.

Multa egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt; multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit, neque ulli nato poſt mille ſecula præcidetur occaſio aliquid adhuc adjiciendi. Veniet tempus, quo iſta, quæ nunc latent, in lucem dies protrahet; & longioris ævi diligentia, veniet tempus, quo Poſteri nos neſciviſſe mirabuntur. Patet enim omnibus veritas, nundùm eſt occupata, cum multum ex illa etiam futuris relictum ſit. Senec.

CA-



CAPUT I.

Præmittendum Morbis Uteri.



Terus ex iiſdem primis rerum ſeminibus, quibus corpus Mulierum coaleſcit, materiam ſumit; & ab illarum variè permixtis moleculis, diverſas ejus partes componentibus, variam in ſingulis Mulieribus ſortitur molem, temperiem, texturæ laxitatem, unionem, ac reſiſtentiam. In nulla etenim ejus parte certa, ac perpetua eſt figuræ ſpecies, ſed in omni ætate, habitudine, ac temperie, inconſtans, mutabilis, tum propter majorem, vel minorem motum, contractionem, diſtractionem, & craſſitiem, tum propter aſperiores, vel leviores membranas magis, vel minùs uberem liquidorum congeriem omni quandoque ſorde, ac labe inquinatam; imò, quod non minimum eſt, propter vividam, vel languidam ſpirituum vim modò plùs,

modò minùs æquo contrahentem, ac distrahentem, modò divellentem, atque concutientem universam ejus substantiam, & quandoque etiam interturbantem totius corporis fabricam.

Sunt autem reticulares illius membranæ anulares catenæ, ac veluti retia continentia alia mille retia composita ex innumeris perviis tiliis, totidemque villis, capillaribus filamentis, fibris, & crispaturis; sed in propriis rugis, atque suffraginibus observantur glandulæ, & vasa lymphæ; sed hæc omnia ita ad invicem implicata, laxa, friabilia, & quandoque etiam arctè simul cohærentia, perindeque quoquoversùm sic contexta ex fluxuosis canaliculis sanguinem vehentibus, & revehentibus, ut sanguis fluens per innumeras minimas arterias, & venas comprehendentes duo latera, occurrat utrisque (ut ita dixerim) nodis; & quia ad eosdem innumeros nodos, ac recurvas plicaturas fit jugiter concursus sanguinis confluentis ab oppositis terminis; in illis propterea fiant facilè oportet varii occursus, excitentur validi motus, vires, resistentiæ, pressiones, contractiones, & distractiones; imò si vires, & resistentiæ sibi mutuò respondeant, contingant necesse est assiduè concurrentis sanguinis solutiones. Verùm cum memorati nodi, plicæ, rugæ, ac obliquitates inæquales sint, & ipsæ propemodum innumeræ, erunt itidem innumeri concursus, solutiones, vel, quod idem est, attritiones sanguinis, atque aliorum liquidorum; quorum quantitas si aliquando superet plexus retiformes, tumorosam reddit concinnam vasorum seriem, aut sin-

ſingulos villos infarcit, vel ſtatim ultra leges incolumitatis ſubit glandulas, & per earum canales magis, magiſque ſolutionem acquiſitam adauget, vel contexturam reticularem diſcindit, ideoque foras erumpet. Obſerva quæſo Uterum, ejus ſitum, fœdus, & figuram; inde reſolve, tracta, preme, diſtrahe, excarna, divide, atque etiam divelle membranas; ablue, denuda fibras, & villos; ſepara glandulas, & nervos, deinde contemplare arterias, & nervos ſe ſe diffundentes in minores, & minores ramuſculos, rurſus in exiliores ſemper ordinatìm abeuntes uſque ad ultima capillamenta, minimaſque tilias; & tunc demum invenies adeò invicem necti, & fulciri, ut propria vi ſimul nitantur in contentum liquidum. Imò præter hæc in inſignioribus arteriis, & nervis ſpermaticis, atque hypogaſtricis per omnem Uteri partem excurrentibus, ſi eas flatu diſtenderis, obſervabis minimarum glandularum ſeriem naturali vi, ac ſtructura contractili ſcatentium; & ex iis vaſculis mirè contextis, millies involutis, milliesque invicem ſibi occurrentibus, intelliges, quæ attinent ad hujus partis peculiarem flexionem, & circumpreſſionem, itemque ad ſeparationem, atque excretionem illorum liquidorum, quæ jugiter madefaciunt Uterum, & ab ipſo elabuntur, uti deducitur ex Regnero de Graaf, & ex Conſiliis Malpighii.

In iis autem canalibus non ſunt æquales motus, nec æqualia ſunt facultatum momenta, nec villi contractiles vaſa contexentes æquè craſſi, nec æquè ſubtiles, rari, aut denſi; ſed in qualibet canaliculorum parte alii craſſiores, alii tenuiores, alii

rariores, atque densiores sunt. Quare cum per exactas circumferentias canaliculorum non videantur æquè dispositi, nec semper recti, nec semper spiraliter advoluti; facilè est in tanta inæqualitate crassorum, tenujum, ac perexilium villorum, simulque facultatum, ac virium dimoveri, atque atteri seriem globulorum constituentium fluida per dictos canales labentia; imò tot virium, vasorum, ac resistentiarum inæqualitas facit, ut moleculæ liquidorum sortiantur inæquales velocitates; indeque accidit, ut particulæ nonnullæ parùm moveantur, ut earum aliæ majori vi ducantur per medium canaliculorum, quàm cæteræ per proximam partem superficiei canalium; ex quo oritur, ut moleculæ inertiores lentè per latera diffluant, & paulatim impleant quicquid occurrit cavum, & minùs resistens, licèt cavum illud sit implicatum, flexile, ac eximiæ longitudinis.

Ex dictis jam constat tam liquidum fluens per angustiores Uteri canales pluribus impedimentis obnoxium esse, quàm liquidum fluens per ampliores, tum ratione paucissimarum particularum, quæ ab occursu sunt liberæ, cùm ratione breviorum vectium, per quos nituntur, & superficierum, à quibus comprehenduntur canales angustiores. Oriuntur etiam resistentiæ à curvis, flexuosis, ac ramosis vasculis, qui in Utero sunt innumerabiles, eorumdemque flexionibus variis; hìc etenim curvantur in arcum, illic texuntur in rete, huc implicantur in contextus inexplicabiles, illuc glomerantur in glandulas, hìc varias nectuntur in telas, illic ducuntur in orbem, plicantur

tur variè, in una parte formantur in ſpiram, in alia non ita: denique omne genus flexionum ſubeunt, & ad unumquodque punctum ſingularum flexionum novam liquido labenti reſiſtentiam faciunt. Sed quamvis inſignis reſiſtentiarum cumulus in Utero ſit, nihilominus magis in dies imminuitur, quia vaſa paulatim explicantur, amplianturque; imò virtutes contractionum, diſtractionum, preſſionum, &c. augentur, & fluidorum impetus majori percuſſionum vi agit in partes, ac propterea vividiores particulæ exercentes vires in canaliculis Uteri, atque totius corporis adeò invaleſcunt, ut partes ſingulas vaſorum illuſtrent, humores urgeant, pulſent, eoſque fluxiles reddant.

Canales verò iſti etſi non ſemper humore repleti ſunt, poſſunt tamen facile repleri, dummodò momentum, quo repletioni reſiſtunt, minus ſit momento, quo humores defluunt; imò canales iſti humore non redundant, ſi tota ſua longitudine pluries propagantur, & hiant, atque vi, qua diffluunt, irrorant, madefaciunt, adeòque reparant ſingulas villorum moleculas. Contemplare igitur hoſce Uteri canales intra Uterum, & extra Uterum, eoſque numquam invenies torpentes, ac veluti quodam gelu conſtrictos, ſed mobili ſucco plenos, & motu ſuo canaliculorum plicas explicante; hoc antem liquidum implens tenellos Uteri canales vi propriæ agitationis, niſus, & confricationis paulatim ſolvit eorumdem plicarum nexum, prҿſertim quia accedunt huic virtuti nervorum protenſiones, procedentes tum à propaginibus ſextæ conjugationis, tum ab oſſe ſacro, quæ ducunt liquida contrahentia in fibras,

bras, & villos vaſorum Uteri, cujus plicæ niſi à fluxus momento explicentur, ſaltem explicentur oportet vi æſtus ſucci nervorum, & ſanguinis agentis in illis.

Ramoſi itaque canales Uterum perreptantes, & varias machinas continentes, propria longitudine implicatione, ac multiplici ſurculorum numero quocumque diffuſi, & protenſi ſerpunt per viſcera, per ventriculum, inteſtina, ac per univerſum corpus; & adeò alternè nectuntur, ut mirè intertexti videantur; ad eorum autem productionum principium præſtò ſunt totidem nervoſa filamenta, quæ ſimul per totam longitudinem coeunt; ſi igitur membranæ naturaliter contractiles conſtituunt Uterum, debent eſſe ita ad mutuum contactum poſitæ, ut modò ſint plicatæ in innumeras rugas, modò adeò diſtentæ, ut adinſtar labyrinthi ſuperequitent canaliculi, ſintque membranæ, ac ductus ita implicati, atque involuti, ut comprehenſi à membranis credantur; imò interdum memoratæ membranæ, ac villi cujuſcunque ductus adeò à mutuo contactu diſtant, ut nullatenus plicentur, vel membranæ ipſæ adeò ſunt raræ, laxæ, & parùm cohærentes, ut ductus ſuperequitantes detecti, diſtracti, minimèque membranis conjuncti appareant, uti Highmorus, & Rodericus à Caſtro referunt.

Initio igitur generationis intra Uterum, & poſt generationem extra Uterum conſtare videtur inſignis Uteri pars ſolidis, & fluidis partibus peculiari modo inter ſeſe connexis, viciſſim commixtis, & ſic ad agendum diſpoſitis, ut alternè poſſint leniter agitari, perindeque ſe ſe invicem urgere; dantur enim vil-

villi contractiles, dantur filamenta in ipso principio generationis, quæ vi se contrahendi pollent, ea scilicet, quæ convenit fibris omnibus, & præsertim musculis ad hoc, ut, postquam hæc omnia contracta sunt, se se restituant; quod etiam faciliùs sequitur tam in omnibus capillaribus vasculis, ac eorum incohamentis, quàm in suis jam firmatis staminibus, villis, atque ductibus membranas contexentibus; sunt autem membranæ contextæ, & fulcitæ capillitio vasorum, & ita ad contactum positæ, ut minimas cavitates intra canales relinquant, eosque idcircò propemodum occludant: insuper sunt eædem membranæ per totum longitudinis tractum, penè dixerim, obturatæ, adeòque compactæ, ut hinc indè per latera oriantur alii canaliculi brevissimi, qui quidem sunt ita implicati, ut impererviï prorsus censeantur.

Verùm cum Divinus Naturæ Artifex perviam etiam volverit totam Uteri fabricam, & quantùm decebat, explicatam, jurè constituit eam nihil continere, quod in omni ætate prohibeat influxum, & refluxum liquidorum; nam universa vasculorum congeries est ita disposita, ut facilè explicari possit, quemadmodum colligitur in Puellis, quæ in dies majorem extensionem nanciscuntur, sive veriùs, ut observatur in demersione Uteri intra liquidum calidum, cujus canales patentes, & non omninò pleni, post datum tempus prorsus replentur, ideoque exteriores rugæ laxantur, explicanturque, ex quo fit, ut aliæ, & aliæ madefiant, atque extendantur. Quarè si in Puellis jam firmis membranæ contractiles compre-

prehendentes canaliculos modicè diſtentos, indieſque magis, magiſque diſtrahantur, tempus adveniet, in quo referciantur oportet venulæ, arteriolæ, lymphæ vaſcula, glandulæ, atque intra hæc latentia interſtitia; undè totus Uterus liquidis neceſſariis circunfuſus, ac veluti ſatur vividis particulis, quæ ſuis vinculis ſunt ſolutæ, humido calore fotus agitatur, confricatur, penetratur, atque aptè extenditur. Aſſertis igitur in libertatem humoribus igne ſcatentibus, liquida cuncta canalium ſumma emiſſaria occupantia agitantur, ſuiſque minimis ſeminibus confricant continentes membranas, quæ tunc urgentur, & nituntur moveri quaquaverſum, ac propterea humores feruntur quò minor, aut nulla reſiſtentia occurrit; ſed cum locus hujus minoris, aut nullius reſiſtentiæ in ipſis vaſorum emiſſariis, in quæ abeunt mox dicti humores, poſitus ſit, nullum illis eſt ſuperandum ſpatium latens inter coeuntia emiſſaria, & locum parùm, vel nihil reſiſtentem. Qua de re liquidum occupans totum Uterum, & prẹſertim ejus vaſorum oſcilla, quæ mutò copulantur ſtatim ac agitationem concipit, magis funditur, & vi tot motuum, occurſuum, ac ſuccuſſionum, quæ in omni vaſculo, & Uteri villo exercentur, fit promptior ad excidendum; nam cum agitatio, & confricatio hujus generis liquidorum, eorumque vis percuſſionis, & calor fluxiliora reddat eadem humorum minima corpuſcula, quæ ſecerni debent, minuit etiam cohæſionem ipſorum cum ſuperficie canalium, & præſertim cum eorum nodis, atque inæqualitatibus, ac idcircò fluidorum moleculæ faciliùs, & expeditiùs ſe-

ſejuguntur, & exciduntur; verùm cum hoc ipſo tempore, quo à ſuperficie canalium ſeparantur, eorundem membranæ in contractionem veniunt, ac veluti ſub prælo ponunt contentum liquidum, illudque diſpeſcunt, & pellunt.

Quoties igitur textura Uteri debito humorum cumulo eſt referta, & quadam certa agitatione, velocitate humorum, atque calore tentatur, toties membranæ, atque canaliculi per eas repentes ſolicitantur, ſatis explicantur, contrahuntur, & diſtrahuntur, donec humores contenti fluant; ex quo fit, ut canales modò ſenſim impleantur, modò depleantur, ut villi membranas univerſas aſtruentes, ut membranæ comprehendentes canales in tota corporis machina contrahantur, & diſtrahantur; ac proinde canales magis oppleti majori vi alios, ac eorum ſuccedentes plicas urgeant, rarefaciant, atque illorum oſcilla magis aperiant.

Poſſet autem hujuſmodi ſecretio diu perdurare, ſed cum humores non eandem ſemper miſtionem, indolem, ac igniculorum copiam ſervent, nec eandem ſemper exerceant fluxus vim, & irritationis momentum, quod diſcludere valeat canales, vel eorum impervias plicas adeò aperire, & explicare, ut coeuntia ora venarum & arteriarum priùs occluſa diſcludantur, mirum non eſt, ſanguinis, aliorumque fluidorum dejectionem aliquandò ceſſare. Hujus rei luculentiſſimum exemplum, & ſatis obvium eſt liquor effluens è ligni canalibus igne agitante: obſerva amabò quid huic contingat, cum igni admovetur: ab altera tantùm illius parte, quæ igne non ten-

tatur, effluit liquidum fervens, &,si caloris vis intendatur, major liquidi copia, & citiùs effluit, in bullasque erumpit, quamvis lignum ipsum non parvæ sit longitudinis: hoc idem observabis in tela solidè intertexta recenter cerata, & arctè cohærente, quæ, si hyeme præsertim tentetur igne, fit mollis, explicatilis, & ex universis filamentis evomit tenuem humorem in interjectis spatiolis telæ, aut ceræ glutine detentum: hoc pariter confirmant poma supra, vel propè ignem posita, cujus vi tota eorum substantia flaccescit, eorumque cortices tam interni, quàm externi madescunt, discinduntur, & quaquaversùm eliminant humorem, cujus carentia cortices ipsi variè laxantur: si ergò ignis minimæ particulæ percutere, urgereque possunt per totam longitudinem canalium ligni, pomorum, &c. contentum liquidum; si penetrare valent, dissolvere, & mutare cohæsionem vasorum, ac totius structuræ; si contrahere, distrahere, aperire eorum oscilla, & discindere corticem, ac idcircò detrudere ex emissariis canaliculorum contentum liquidum; num minimè sufficient in Mulieribus pro Mensium secretione solutæ ignis particulæ huc illuc per sanguinem, aliaque organa volitantes? non satis erunt impetus, aut liquidorum velocitas, quantitas, confricatio, & ignis circunfusus ad agendum in omni Uteri villo ad penetrandas omnes fibras? ad magis contrahendum, distrahendum & circumprimendum totum Uterum? imò ad irritandam omnem nervorum substantiam, ac propterea ad explicandos, & aperiendos canales rectos, & obliquos? demum, ad citiùs liquida movenda, secer-

cernenda, atque eliminanda? Incipient itaque citiùs, vel tardiùs menſtruales fluxus, pro ut magis, vel minùs explicatus fuerit Uterus, vel plùs, aut minùs fæcundatus vivida humorum copia, & igniculorum quantitate. Quare tamdiu durabit hæc depoſitio, quamdiu durabit tot prædictorum motuum vis, & agentis ignis facultas; quemadmodum in ligno perennatur humidi contenti ſecretio, quouſque vis ignis ſuperat illius reſiſtentiam.

Inter alia, quæ ex præmiſſis deducuntur, dico jam dari intra Uterum cujuſvis ætatis liquidum quoddam non omninò quieſcens, quale in arboribus conſervatur tempore hyemis uſque ad ver; quo tempore, agitante calore illius anni partis, & quandoque etiam priùs, omnia plantarum ſemina inteſtinum motum ſubeunt; ideoque gemmæ, flores, frondes, fructus, citiùs, vel tardiùs ab illis erumpunt, prout aer, canales, & ab illis contenti humores referti ſunt majori, vel minori copia igniculorum, quaquaquaverſum impetum facientium. Pro temperamentorum igitur varietate citiùs, vel tardiùs flores excitantur Mulierum, dum Uteri turgida vaſcula non ſatis reſiſtunt influxui tentantis liquidi; eſt igitur veriſimile, non in Mulieribus tantùm generationi idoneis, verùm etiam in ſenio confectis, & quandoque in Puellis immaturis pervia fieri, & aperiri vaſa ſanguinis per Uterum excurrentia, quemadmodum Hildanns, Horſtius, Schulzius, aliique plures indicarunt; & nuperimè obſervavit celebratiſſimus Antonius Vallſinerius, Vir certè ſingularis doctrinæ, in univerſalibus notitiis Minervæ aſſe-

ferens, quandam Puellam nondum primum lustrum attingentem latam sanguinis hemorrhagiam per Uterum passam fuisse statuto tempore per plures menses; & ipsemet testari possum idem prorsus accidisse cuidam Vetulæ nonagesimum tertium annum agenti, quæ eundem passa est sanguinis fluxum.

Aliter quippè sentiunt, qui rem aliter examinant; asserunt enim Uterum, ejusque instrumenta proxima, & remota concinnè disposita eâ ratione, vi, & facultate moveri in prima ætate, ac in altera; nam Uterus in prima partium teneritudine est exigua moles, constans illis exordiis, eodem prorsus modo dispositis, & ad agendum accommodatis, ac in firma habitudine cujuscumque ætatis. Discrimen igitur insistere contendunt in majori, vel minori protensione, sive magnitudine partium, quæ ex minori mole fiunt majores, ut de ovis etiam in testibus contentis patet; quæ etsi in primis annis nudùm oculum ob molis parvitatem fugiant, nihilominùs statuunt à prima ferè corporis constitutione usque ad extremam ova excidere è testibus in Uterum, modò scilicet unum, modò alterum, nunc minusculum, & immaturum, nunc magnum, omnibusque numeris absolutum; sed cujuscumque fuerit molis, illud putrescere non dubitant, ideoque madefacere internas Uteri membranas particulis sulphureis, ac erodentibus, quibus ovum scatet, ad instar aquæ Stygiæ, vel ignis, & quodammodo urere, dilaniare, ac solvere vasa serpentia per Uterum, ac propterea non parùm sanguinis depromi. Verùm

cum

cum intra Uterum, & ovum dentur solummodo illi motus, ac partes ritè dispositæ mutabiles, atque ita in suis incohamentis perspectæ, ut abire possint in partes animalis, easque aptè fovere, & conservare; non est sensibus obvium, nec verisimile in tenella ætate ovum in Uterum delabi, illudque retinere, quamvis evanidum, suoque fœdere destitutum, activissimum ignem, seminaque erodentia, ac dissolventia oscilla vasorum, ex eorumque emissariis Menses depelli; nam si essent ovo subventaneo particulæ tanta vi præditæ, momento citiùs suis stimulis universam Uteri structuram summo sensu petitam ustularent; seu, quod minimum est, rugas quoquoversùm obtenderent, singulasque tum Uteri, & vaginæ, tum vasorum tunicas excoriarent, ex quo fieret, ut sanguis summis cum torminibus foras exiret; imò dicta semina Uterum, fibrasque partium finitimarum convellerent, inflammarent, & mille sævissimis symptomatibus Mulieres læderent.

Qui in Praxi Medica, & Anatome scitè versantur, non ignorant, tam nervorum, quàm aliorum ductuum propagines per Uterum reptantes copulari cum tota fabrica, cum illa cieri, & in motu ea ratione sibi vicissim respondere, qua singulæ rotæ horologii sibi respondent; non enim obstat rotas memoratas esse majoris, vel minoris dimensionis, sive esse remotas illi rotæ, quæ immediatè radium ducit; nihilominus etenim perindè se res habet, majores namque ita minoribus cohærent, ut simul omnes ad indicandas nobis, vel pulsandas horas æquè concurrant; sed quia motus hic dicitur nexus, &

unio

unio omnium motuum antecedentium, pendens tam à proximis, quàm à remotis rotis totius; hac eadem arte explicare lubet motum villorum, fibrarum, nervorum, venarum, arteriarum, aliorumque vasorum contexentium Uterum; quorum contractio, & distractio, vis, & resistentia debent tam vicissim convenire, quàm referri ad motus cerebri, cordis, viscerum, nervorum, &c.; à quibus emanant exercitationes, & ministeria, quæ tum Uteri, cùm totius corporis bonam, vel malam præseferunt valetudinem.

Pensilis est Uterus, idcircò facilè moventur ductus fluidorum per ejus substantiam irrepentes, facilèque humores contenti huc illuc labuntur; & ejus compago vi ipsum perlustrantium liquidorum contrahitur, & distrahitur, premitur, & circumpremitur: verùm si irradiandi momentum nervosi succi, & aliorum liquidorum aliquantulùm à recto tramite declinet, vascula singula, humores, nervi, ac villi contractiles eo convelluntur modo, & jactantur, quo vela navium in medio mari fluctibus, ac procellis agitato; sic utique de suceo nervorum, de fibris, villis, atque Uteri nervis cogitare convenit, cujus singulæ partes quantumvis minimæ secretioni inutilium, aliisque usibus destinantur, aliquando tamen læduntur à quocumque vitio viscerum, sive à febre, inflammatione, aliove morbo corpus invadente; &, quòd majoris momenti est, ab æstuante displosione spirituum ab illis facta, quorum vi, sive percussionum momento tota machina vexatur, concutitur, vacillat, & mille sævissimis sym-

ſymptomatibus torquetur. Vis igitur percuſſionis, contractionis, & diſtractionis ab imo termino cujuſcumque partis Uteri uſque ad ſupremum adeò convenire, ac reſpondere debet ſingulis fibris, cohærentibus moleculis, atque fluentibus humoribus, ut horum particulæ labentes intra canales non coaleſcant; ſed commiſceantur, nutriant, fluant, depurentur, ſecernantur, ut pariter vaſcula contractilia continuè liquida premant, urgeant, eaque ita impellant, ut permeent, reparent, ac ſeparentur; alioquìn vires viribus, facultatibus, ac reſiſtentiis non reſpondebunt, nec partes ſpiritibus, atque humoribus, nec humores ſpiritibus, & partibus mutuò convenient, imò, ut monet Hip. l. de loc. in homine, *Uterus evadet omnium morborum ſeminarium, atque radix*.

CAPUT II.

De Menſium Suppreſſione.

ANTECEDENTIA.

TAlis eſt Mulierum ſanitas, qualis eſt ſecretio Menſium, quorum fluxus prout magis, vel minùs imminuitur, depravatur, aut aboletur, magis, vel minùs variis ſymptomatibus eas torquet. Eſt igitur Menſium Suppreſſio ſanguinis menſtrui vel ob vaſorum tantùm, vel ob fluidorum dumtaxat, vel ob utrorum vitium, retentio.

Hanc Suppreſſionem præcedere ſolent tempe-

ſtas

ſtas frigida, & humida, tegumenta quælibet madida, victus ratio frigida, ætas inclinans, longa quies, ocium, decubitus ſuper lapidem frigidum, aut nudam terram, aquæ frigidæ, ac præſertim nivis, & glaciei contrectatio, immodica vigilia, curæ, mærores, horror, nimiæ repletiones, vel inanitiones, labores improbi, ſudor multus, ſanguinis aut ex naribus, aut ex hæmorroidibus, aut è ſecta vena profuſio, vomitio, alvi proluvies, corporiſque extenuatio, ex quocumque ſit morbo contracta.

C O N I U N C T A.

CUM Suppreſſione Menſium jam Mulieres corripiente hæc conjunguntur, laſſitudo totius corporis, lumborum, ſcapularum, capitis gravitas, & dolor, nauſea, cibi faſtidium, urinæ craſſæ, & turbidæ, rubicundæ, ac plerumque aquoſæ, & aliquando etiam nigricantes, reſpiratio difficilis, oculorum intumeſcentia, pulſus celer, debilis, & quandoque etiam tardus, inertia, pedum tumor, viſcerum durities, abdominis tenſio, dura alvus, ſomni diuturni, & color corporis pallidus, ac flavus, quæ ſingula magis, vel minùs invaleſcunt, quatenus magis, vel minùs recedunt Menſes à Naturæ præſcripto.

S U C C E D E N T I A.

UTeri compago indiget variis, ac plenè innumeris motibus, adeò mutua proportione ſibi reſpondentibus, ut eorum nullus alium plùs æquo adau-

adaugeat, aut præpediat, aut uſum, vim, & nexum minimarum particularum ſolidarum interturbet, ac diſſolvat, nullusque itidem alteret debitam copiam, mixtionem, impetum, atque ſecretionem fluidorum; ac propterea ejus contextura moderatas requirit vires, ac reſiſtentias in toto ſolido, & fluido, itaut nulla prorſus opificii pars vitio afficiatur; alioquìm enim Uterus evadat oportet adinſtar inſtrumenti muſici habentis unam, vel plures madidas, aut falſas fides, quæ, etſi perita manu tententur, diſſonum tamen edunt ſonum.

Uteri itaque machina movetur vi cujuſvis motus ſuccuſſionum, contractionum, & diſtractionum ſuperadditarum, quas eliciunt tam partes proximæ, quàm remotæ; quarum aliæ & aliæ ſenſu, motuque præditæ dum ſentiunt, & moventur, mille contractionibus, diſtractionibus, & preſſionibus naturalibus urgent, premunt, & movent villos Uteri; atque ad novum contactum, novamque cohærentiam ducunt illorum moleculas, & ab eadem illas retrahunt, ac iterum in eandem reſtituunt; nam particulæ aſtruentes quicquid mobile, vel ſenſibile eſt in corpore, ſive hoc ſit Utero proximum, ſive remotum, formam vectis emulantur, cienturque vi motus liquidorum luſtrantium nervos, muſculos, aut villos contractiles quacumque conſertos, & per Uterum diffuſos; quare quò illis eſt vividior ſenſus, & motus, eò præſtantior fit vis mobilis, atque ſenſibilis etiam in Utero.

Utilitas autem ſuccuſſionum, ſeu contractionum, aut diſtractionum ſita eſt in motu ipſo contra-

ctionum, distractionum, pressionum, &c., ita enim ea confluunt intra partes sensibiles, & mobiles, quæ excitant motum, & vim novi contactus; quinimò quæcumque continentur, exprimuntur, separantur, atque extra illas amandantur: quare per memoratas succussiones explicantur involuta filamenta, laxantur, solvuntur, vasa pervia quandoque impervia fiunt, ducunturque tum extra vasa, cùm extra minimarum particularum inanitates ea omnia inutilia, quæ facilè expelli possunt; hæc autem in qualibet ætate, corporis habitu, ac temperie citiùs, vel tardiùs peragunt, prout majus, vel minus est fœdus mixtorum, vel quatenùs plùs, aut minùs scatet seminibus ignis, aut consimilibus particulis activis.

Verùm cum in nulla fibra, membrana, aut cedentis filamenti minima parte detur superficierum exacta lenitas, hinc fit, ut moleculæ sese tangentes constituant inter latentes asperitates sinulos quosdam, quibus continetur aliquod fluidum facilè mobile, quod est in causa, tempore præsertim bonæ valetudinis, ut filamenta, tiliæ, atque eorum patiunculæ madescant, cedant, flectantur, uno verbo promptiores evadant motibus, ac secretionibus. Evenit etiam interdum, ut solida mutent aliquantulùm cohæsionem, eorumque superficies fiat consuetò asperior; ac sinuli memorati plùs æquo repleantur lympha, aliove humore alluente, simulque infarciente machinulas solidas glandularum viscerum, imò villorum omnium; cujus rei causa majores fiunt laxitates, majores in dies sinuli, ideoque magis inficiuntur vitiosa labe fibræ, ac villi; &,quod rei caput est,

ad

ad invicem tiliæ, faſciculi nervorum, fibrarum, & vaſorum tenduntur, ac premuntur ultra naturæ leges, occluduntur eorum hiatus, langueſcunt motus, infirmantur ſolida, permutant figuram, meatus, vires, & reſiſtentias; fluida pariter nimia ſeri ſorde inquinantur, ſpiritus diluti evadunt, vel coercentur, aut reſolvuntur, nec ulteriùs aptè regenerantur: quare organa indebitè luſtrantur, nec vires humorum reſiſtentiis proportionales exercent, ac proinde humores naturali impetu, atque preſſione deſtituti, purioriſque lucis ſeminibus, vel ſaltem eorum debita copia carentes mixtiones, ac ſecretiones naturales non ſortiuntur.

Si igitur deficiant Menſium depoſitiones, dicendum totius fabricæ conjugium, & præſertim Uteri, univerſam arteriarum, atque venarum armoniam non eſſe illius unionis, ac virtutis, qua ſuperare poſſit reſiſtentias, ac impedimenta occurſuum fluidorum; neque à contractionibus, preſſionibus, aliiſque motibus villorum conſtituentium membranas diverſorum vaſorum atteri poſſe, ſeparari, atque detrudi fluidum inutile; quod eò etiam faciliùs contingit, quia ſuapte natura arteriarum propagationes quo magis à ſuo principio removentur, eò magis ſemper magiſque anguſtæ fiunt, ideoque ſanguis per ipſas excurrens ab ampliori orificio verſus anguſtius facilè præpeditur; Venæ autem etſi contrario modo ſeſe habeant, hoc eſt, fluxus ſanguinis ſit per ipſas ab exilioribus canaliculis versùs patentiora vaſa, nihilominus in ejus curſu moleculæ ipſum conſtituentes tum in mutuo occur-

ſu ſeſe invicem ſiſtunt, tum in contactu membranarum, ac propterea vaſorum omnium oſcilla non ſatis aperiuntur.

Verùm enimverò ſi liquida ſupponantur viſcida, ſingulæ tunc eorum particulæ non modò plurimùm hærent mutuo contactui; verùm etiam membranis aſtruentibus Uteri canales, quorum emiſſaria fiunt anguſtiſſima, vel prorſùs occluduntur, quia liquidum hoc divellitur longè difficiliùs à membranis, quàm liquidum non viſcidum: vis igitur occluſionis non oritur ſolùm, ut cenſent multi, à membranarum preſſione, vel à ſuperaffluentibus humoribus, ſed magis etiam à momento lentoris, quo fluidæ moleculæ in membranis inſident, momentum exuperante, quo ſolidæ machinulæ illum expellere adnituntur.

Vis autem fluxus nimii fluidi, excurrentis per vaſa, tanta non eſt, ut ſuperare poſſit reſiſtentiam vigentem in ſingulis particulis cujuſcunque arteriæ; quarè fluidum ipſum extrorſum urget latera vaſorum, eorumque fibras, quæ proindè nequeunt premere humores per totam longitudinem, eorumque ramulos ſemper anguſtiores: ſi ergo minùs quàm decet, moventur humores per Uteri canales, magis gravabunt membranas, eorum moleculæ mutuò irretientur, adhærebunt fibris, quandoque aceſcent, lenteſcent, vertentur in tartarum; ac propterea Uteri vaſa, atque interdum etiam viſcerum contaminentur oportet adinſtar dolii vino, acetove pleni, à quo acredo, tartarum, ejuſque cruſtulæ tolli non poſſunt, niſi totum acetum effundatur, ejicianturque vini fe-

ces

ces, vel ſedimenta, tam in fundo vaſis, quàm in lateribus, & ligni poris ſubſidentia. Pari ratione niſi à naturali fluxu abradantur humores, qui concreverunt, niſi à ſpirituum vi fibras movente adeò urgeantur, premantur, ac idcircò aptè incidantur fluidorum duræ lentæ & molles particulæ, niſi à momento villorum contractilium ſuperetur cohæſio, & quælibet reſiſtentia viſcidi humoris adhærentis membranis, fluxumque præpedientis, vaſa tunc per Uterurm, atque viſcera ſerpentia ſalutis leges non ſervabunt. Ex iis qui non eſt conſilii impotens clarè intelligit, majus eſſe aliquandò per Uterum, per viſcera, imò per univerſa vaſa momentum diffluxus liquidorum momento, quo canales repletioni reſiſtunt; & è contra intelligit, momentum interdum, quo canales repletioni reſiſtunt, minus eſſe momento difluxus liquidorum; & tunc præpedita humorum ſecretio vel ad nervorum ſuccos æſtuantes, & nimis agitatos, vel nimis ſopitos, aut alterius cujuſlibet neceſſariæ conditionis expertes attinet, vel ad alios humores remotos à nativa indole ſive ad partes ſolidas nimis irritatus extra propriam cohęſionem ſitas, vel quomodocunque vitioſa labe affectas, ut ex cauſis exterioribus mox explicandis clariùs patebit.

Iſtæ namque, ut initio quoque indicavi, recenſentur varia victus ratio, aut frigidorum uſus, ſive cujuſvis rei humidæ, & frigidæ contrectatio, cum hæc aliis copioſam, aliis prexiguam purgationem exhibeant, vel aptum, & convenientem purgationis modum, qui naturæ, & vitæ generi eſt conſentaneus, depravant, permutant, & quandoque etiam prorſus abo-

Improba victus ratio, & contrectatio frigid. hunc morbum inducunt.

abolentur : ne autem obſcuritatem pariat rei expoſitio, ſciendum cauſas exteriores memoratas, frigida nimirum, & humida, premere, laxare, & irritare non parùm papillas nervorum, & in eorum propaginibus tremorem incutere; cujus vi neceſſaria motus cauſa ea, qua priùs ratione, non communicatur fibris totius fabricæ, atque Uteri contexturæ, ad quam non ſecus ac ad alia organa propagantur innumeri nervorum ductus deferentes vim, ac facultatem motus, & ſenſus. Quarè ſive mergatur corpus in aqua frigida, ſive extremitatum una, aut alia pars diu in illa detineatur, aut quomodocumque frigidum contrectetur, ſanè vi hujus contactus moleſti ita penetratur, agitatur, irritaturque nervorum ſubſtantia, ut lympha circa nervos effluens conſiſtat, ſpiritus motu tremulo diffundatur, ſeu potiùs inordinatè explodatur à cerebro ad partes; ideoque omnis fibra etiam ad Uterum pertinens adeò madeſcit, ut priùs laxetur, tendatur, ac veluti conſtringatur, atque concutiatur; ut ſinguli naſorum villi ſic laxi, madidi, tenſi, conſtricti, & concuſſi quadam veluti paralyſi corripiantur, cujus vitio ignis ſolidis, & fluidis circumfuſus nec in auras abit, & ſed intus deliteſcit, & humores nec impetum naturalem nec ſecretiones conſervantur; nam impervium evadit corpus Uteri, ejus meatus conſtringuntur, contractiones, diſtractiones, preſſiones, & cæteri motus, quibus ipſum fruebatur, deperduntur, & hinc oritur Menſium Suppreſſio. Nec hujus rei veritas negari poteſt, cum facultas motrix diverſas ſeparationes perſolvat, quia variis utitur organis, & peculiarem

rem ſortiuntur agendi vim, quemadmodum idem fluxus rapidi fluminis, ope diverſarum machinarum, modò triticum conterit, modò ſecat marmora, & ligna, modò malleis contundit metalla, modò demum organis hydraulicis armonicum concentum edit; hac eadem ferè arte ſpiritus, ſive ſuccus nervorum, aliæque ignis particulæ degentes in ſanguine adinſtar torrentis luſtrant, percutiunt varia vi totum corpus, urgent, penetrantque Uteri fibras, earumque moleculas diverſimodè movent. Quare hìc humores cientur, hìc premuntur, illic deteruntur, illic ſeparantur, &c., quia ibi fibræ elevantur, tenduntur, alibi deprimuntur, & oſcillant; idcircò humores inutiles, cum varias partes occupent, variè ſeparantur, & quaſi diverſo pręlo exprimuntur, & per propria emiſſaria eliminantur. At ne recedere videar à ſuſcepta ſimilitudine, ſi aquæ fluminis ſenſim deficiant, nec tantum impetus, & percuſſionis, quantum opus eſt rotis, aliis inſtrumentis machinæ impertiant, aut rotæ ipſæ, aliave inſtrumenta non ſatis apta, ac perfecta ſint, tunc eorum operationes ritè non peraguntur; permutato igitur humorum impetu, figura, & ſuſtantia, læſiſque fibris, & villis vires langueſcunt, diſſoni fiunt motus, humores nec ſeparantur, nec depellentur, ideoque partes ſolidæ vitioſa labe inquinantur: ſi autem diu vigeat tempeſtas frigida, & humida, Mulierumque corpora ſint naturaliter laxæ contexturæ, mollis, & modicæ reſiſtentiæ adinſtar chartæ bibulæ, ſpongiæ, aut telæ goſſypinæ, citiſſimè humiditatem exugunt, atque combibunt; ac proindè recedunt à debita vi humo-

Frigida temperies, & humida laxaq. texsura.

mores premente, urgente, ac ſeparante, quod non ita facilè contingit in Mulieribus vividis particulis ſcatentibus, ac debita firmitudine, & fulcimento fibrarum præditis; quæ in univerſa vaſorum conſtructione ſervant unionem, conſenſum, vires, & reſiſtentias reſpondentes aeris mutationibus; ac propterea tam fluida, quàm ſolida, ſine læſione, ſecretiocis opus aptè moliri queunt.

Aer interdum extremè frigidus cum externas nervorum papillas, aliaſque fibras tendat, gravet, & plùs juſto contrahat, earumque internas particulas, aut quaſi torpore ſopitas, aut gelu conſtrictas reddat; tunc motus parietum languidi evadunt, & aeris ſpiræ magis graves, & tenſæ exercent vim, & conatum ſupra vim, & reſiſtentiam ſolidi, & fluidi; quarè ignis in partibus, & humoribus circumfuſus ſi prorſus non extinguitur, ſaltem deliteſcit, ac veluti in vinculis adeò detinetur, ut præpediat villorum machinulas, ne agant in fluida inutilia, tam pro eorum ſeparatione, quàm pro eorum ejectione. Quemadmodum igitur aeris frigiditas poteſt in thermometro ſpiritum vini ad plures gradus deprimere, & conſtipare, ita poterit aer adeò alligare, & premere ſanguinem, atque alia liquida ut conſtringantur, & ſibi mutuò adhæreſcant, longèque abſint à nativa vi, & figura, imò à conſueta illa elevatione, ad quam faciliter attolli ſolent; quod ſi fiat, aptè humores non fluent, & præpeditur debita ſeparatio ſpirituum, quorum jactura nequibunt fulciri villi; ideòque Uterus carebit debita vi, cujus defectu propterea vaſa concident, & humores circum-

Aer frigidus.

cum-

cumfusi, frigoreque correpti torpescent.

Verùm in satis raræ, mollisque texturæ Mulieribus humorum tenuitate, calidaque temperie præditis, si interdum menses, & præsertim in æstu penitus non cessant, saltem plùs, vel minùs universæ fibræ, ac villi naturalem unionem, vires, ac resistentiam amittunt; sive veriùs prout magis, aut minùs rarescunt, aut laxantur adinstar substantiæ sebaceæ, atque cereæ, cujus componentia, etsi mutuò implicentur, arctèque involvantur, ob incursum tamen igniculorum cedunt, flectuntur & colliquescunt; sic fibræ, ac Mulierum villi hujus raræ compaginis laxantur, imò vi ignis in aere circumfusi multùm absumitur lymphæ, & quandoque resolvitur mensium materies, aut debita pressionis vi, atque vehiculo privatur, vel coangustatis glandularum, & viscerum vasculis, sive Uteri, ac vaginæ emissariis, in memoratarum partium sinulis arescit.

Contrarium verò accidit, ut monet *Hip.* 3. *aphor. Naturarum hæ quidem ad æstatem, hæ verò ad hyemem benè, malève se habent*; cum in hyeme, imò in vere, atque etiam autunno transpiratio moderetur & laxa corporis compago ad suum terminum restituatur; tunc ignis liquidis interspersus nec plùs justò rarescit, nec diffunditur, ideoque aquæ, vel lymphæ substantiam non dissipat, sed aptè commiscetur, ac implicatur universis solidis, & fluidis, quorum vires si, uti decet, adinvincem respondeant, per viam Uteri supervacanea naturaliter eliminant.

Quod pariter contingit, si declinante ætate re-

primitur vitæ fervor, ignisque sanguini permixtus, aliaque activa liquida imminuuntur; tunc enim purgatio Uteri fit parcior, rarior, & inæqualis, quàm natura, temperies, corporis habitus, & victus ratio postulant. Nam superstes ignis, aliæque vividæ particulæ ejus naturam æmulantes satis agere non possunt, cum præsertim fibræ non ita facilè flecti queant, quia sunt magis duræ, siccæ exesæ, laxæ, & solutæ, ideòque prioribus destitutæ contrahendi, & distrahendi viribus, vel apta copia liquidorum, quæ debitè non regenerantur, & naturalibus velocitatibus non fruuntur, aut villos rectè non illustrant, nec reparant, neque à spiritibus ritè urgentur, neque sunt prædita ea mixtione, figura, quantitate, aliisque conditionibus, quæ necessariæ sunt ad inutilium dejectionem.

Ætas declinans.

Non parùm autem liquidorum separationi obsunt ocium, vel nimia quies; tunc enim sanguis congruam mistionem, temperiem, figuram, occursus, & impetum non sortitur, nequè contactuum mutationem, quæ cribris partium, & partium moleculis est consentanea; in nulla etenim parte corporis ex adventu novi humoris ea, quæ par est, absolvitur fluidorum comminutio; nec ea, quæ satis est, exeritur contrahendi, & distraendi vis, nec debita effluviorum quantitas depellitur, nec congruus motus usque ad extrema vasorum molitur; proptereaque in eorum per Uterum propagationibus humorum moleculæ proportione debita non cientur, nec certa ratione copulantur, aut disjunguntur in singulis minimis vasculis juxta figuram, virtutisque momen-

Ocium, & nimia quies.

mentum villis, ac fibris mobilibus impressum, aut juxta naturalem pressionem, contractionem, ac distractionem singulis partibus communicatam, hinc planè constat naturam moliri, & consequi secretiones ope vasorum vim facientium in contentos humores, ut debitus absolvi possit illorum exitus; sed in nimio ocio pressiones, confricationes, vires, & resistentiæ, quæ necessariæ sunt ad hoc, ut per Uterum inutilia pellantur, non satis exeruntur; in hac etenim inertia fibræ æquo segniores factæ non urgent, nec aptè agunt in fluida, nec fluida in illas; undè nec defecantur dicta fluida, nec materiam idoneam regenerationi spirituum suppeditant, quorum quantitate diluta, diminuta, vel facta impura depravetur oportet illustratio villorum inservientium motibus totius corporis; undè extenuantur vires, & resistentiæ, laxantur filamenta, onerantur humorum sarcina, & removentur à mutuo contactu particulæ ea constituentes.

Læditur Uterus, cum diu premuntur illius fibræ, tunc enim præpeditur in minimus ejus vasculis motus liquidorum, turgescunt vasa, laxatur eorum unio, nec sequitur recta spirituum diffusio; nam quemadmodum Mulieres, quæ in vinculis multùm detinentur, aut vehuntur continua sessione in navicula, aut lectica, lassitudinem, & languorem persentiunt in fibris musculorum gluteorum, quorum villi ad instar pulvinarium comprimuntur, atque imbuuntur sanguine; ita si Uterus diu sessione circumprimatur, tam in ejus spongiosa substantia, quàm in minimis vasculis, ac fibrarum interjectis spatio-

tiolis ſtabulantur humores, adeoque præpediuntur onere totius incumbentis corporis, ut inutilia per Uterum aptè deponi nequeant.

Nimia Vigilia. In vigilia autem nimia, cum corpora exerceant innumeros motus, contrahantur oportet villi omnes, quorum nexus, vires, & reſiſtentiæ poſt datum tempus à debita proportione recedere incipiunt, eorumque ſubſtantia paulatim diſſolvitur, & quodammodo deſtruitur; nam vires, quæ aſſidue exercentur, vigent in nervis, atque ſpiritibus, & ab aliis hujus indolis particulis emanant, earumque fluxu, & refluxu, diſploſione, miſtione, atque illuſtratione nimis repetita reſolvuntur, & diſperduntur, ex quo fit, ut modica, quæ remanent activa ſemina, ſolidis, & fluidis intermixta, tam languidè cieant tilias fibrarum, & villorum, ut vaſa ſingula, & præſertim Uteri, quaſi diſtracta, & ſoluta invicem concidant; atque idcircò juxta diverſam corporum contexturam plùs, vel minùs imminuantur, infirmentur, ac præpediantur contractiones ſuperadditæ, preſſiones, & circumpreſſiones, quæ neceſſariæ ſunt ad fluxum liquidorum, ac proindè ad munia ſecretionis obeunda.

Cura, merores, & timores. Curæ pariter, mærores, & timores vitiant motum liquidi nervorum, eique talem labem inferunt, ut illius particulæ figuram, cohærentiam machinularum, agendi vim, atque illuſtrandi modum valetudini debitum non ſervent; nam ſuccus ille per nervos fluens, à corticalibus glandulis emanans, versùs partes aptè non derivatur, nec à partibus ipſis versùs cerebrum refluit eo, quo expedit fluxu, nec mun-

munit ſingulas fibras ea diffuſione, eoque contactu, quo neceſſe eſt; ſive igitur neceſſariò, ſive voluntariè fluat, elutriari debet ea vi, qua à glandulis urgetur, atque exprimitur; verùm ſi neceſſariæ preſſiones, quæ oriuntur à contractionibus, diſtractionibus, circumpreſſionibus, &c. arteriarum, venarum, aliorumque vaſorum aſtruentium duram, & piam matrem, obſidentium cerebrum, ſpinalem medullam, & nervos omnes, æquò fuerint crebriores, tardiores, vel infirmiores, erunt etiam æquò crebriores, ſegniores, & imbecilliores motus ſpirituum, ſanguinis, & partium, ſive villorum omnium. Si itaque hæc nimia motuum tarditas, vel celeritas infert laxitatem, tenſionem, tremorem, concuſſionem, & jacturam partibus ſolidis, debet etiam violare, & vitioſam labem communicare fluidis, quæ æquò citiùs, vel tardiùs juxta ætatem, ſexum, temperiem, ac animi angorem derivantur ad partes omnes, ſive determinata cohærentia, motu, quantitate, proportione, & figuræ aptitudine ſeparationi conſentanea.

In Mulieribus itaque timore, aut melancholia affectis ſpecies ab objectis ſenſibilibus profectæ ritè in organis non excipiuntur, nec versùs cerebrum cum debito ſpirituum refluxu feruntur, nec ita mutuò complectuntur, neque nervos, per quos excurrunt, ita tangunt, nec tali impetu imprimuntur, ut conſueta munera perſolvant: & quia nervorum ſuccus, qui progignitur, eſt ejuſdem naturæ cum ſanguine, cujus ſubſtantia ſi ſale, ſulphure, aut lympha acri, & erodente, vel aliis particulis conſimilibus ſca-

ſcateat, tunc memoratus ſuccus ob diuturnum mæroris & timoris affectum ſatis humoribus non convenit, nec partibus reſpondet, quia in nervis, & in contentis humoribus tremulum quendam motum gignit, eumque undatim, ſed inæqualiter, ita propagat fibris univerſis, ut ſi non omninò ſenſationem, & motum impediat, ſaltem depravet, hæbetet, atque infirmet coctiones, liquidorum mixtiones, ac eorundem ſeparationes; imò inanitatum omniùm figuram permutet, tantumque irritationis ſingulis filamentis incutiat, quantum neceſſe eſt, ut nervi, ac villorum protenſiones tremere incipiant, rigeſcant, & fluentes humores retardent, ac præpediant, ne aptè eliminentur.

In qualibet vaſorum nimia plenitudine fibræ, ac ſinguli villi adipe, & ſanguine imbuti, aliiſque liquoribus plùs æquò referti neceſſariò laxantur, *Vaſor. plenitudo.* illiſque implicata vaſa immodicè conſtringuntur, ac ita opplentur, atque turgeſcunt, ut congruè ampliùs non contrahantur, & diſtrahantur. Quare ſi tota Mulierum fabrica plùs, vel minùs obſtruatur, ac ſuperflua ſtipetur humorum copia, ſi proluatur in modum ſpongiæ madidæ, vel membranæ Uterì, ac vaſa per illum ſerpentia onerentur, & tumeant adinſtar conditi corii in officinis Coriarorum; ſi denique viſcera, vel Uterus, aut aliqua alia pars ſeparationibus deſtinata incidat in plenitudinem, vel laxitatem, plùs, vel minùs operationes vitientur oportet, quia vaſa Mulierum aptè inter ſe cohærentia ſimul non conſpirant, nec invicem adeò conſentiunt, ut humores conſueto impetu fluant, agant,

agant, & patiantur, ac partes ſpiritu perluſtrentur, agitentque fluida pro debito exitu inutilium per Uterum.

Defectu ſimiliter pabuli, vel ope cujuſcumque immoderatæ evacuationis, procedentis etiam à labore improbo, fit Suppreſſio Menſium, quia reſolvitur, & abſumitur certa, ac neceſſaria liquidorum quantitas, quæ reſpondere ſolet ſpiritibus, humoribus, & partibus; tunc enim ſanguis, ſpiritus, ſeu ſuccus nervorum ob propriam penuriam languidè, & tardè intra fibras cordis, aliorumque muſculorum inſtillantur, ac idcirco neceſſarias, voluntarias, & ſuperadditas contractiones illas vix eliciunt, quæ ducere, & urgere ſolent humores per vaſa, eos ſecernere, atque depromere. Quare ſi Mulierum corpora conſuetum æquilibrium, & primas vires, imò materiam illas producentem amiſerint, neceſſariò fluida cuncta permutabunt contactum, agendi vim, uno verbo integram mixtionem; ac proinde ſolidarum partium machinulæ plùs, vel minùs inanes, tabidæ, debitoque ſucco expertes fient, vel à naturali cohærentia, coalitu, ac ſtatuto termino recedent, & ſolventur prout magis, vel minùs mutuò laxantur, liqueſcunt, emaciantur, & arent; imò prout magis, aut minùs ſupra tolerantiam, & reſiſtentiam evacuantur, magis, vel minùs menſes amittunt. Verùm ſi immodica tranſpiratione Mulierum corpus, lympha, ſero, vel adipe, aliiſque effluviis, tum ab organis, cùm à ſanguine prodentibus adeò deſtituatur, ut humorum mixtio, ac idonea quantitas nimis imminuatur, vel interturbetur, ſeu quod

Evacuatio immodica.

in

in idem recidit, congruenti prorſus vacet figura, dulcedine, impetu, cohærentia, ac proportione, ſimulque ſeſe invicem abradant minimæ moleculæ aſtruentes organa; proindeque immodicè raræ, & perviæ fiant, laxentur, conniſum permutent, priventurque neceſſario humore lymphatico, oleoſo, vel alterius indolis, ope cujuſvis diſſoni motus, aut violatæ relationis, ſive inordinati contactus fluidi cum ſolido, & ſolidi cum fluido; & præſertim vi intemperati ignis citiùs, quàm par eſt, penetrantis, ſolventis, ac quodammodo comburentis, atque in tenues auras reſolventis fœdus mixtorum, tunc particulæ ſolidæ areſcunt, abbreviantur, ac ferè coriaceæ ita evadunt, ut expeditè contrahi, & diſtrahi nequeant; quare tam vaſa Uteri, quàm viſcerum, fibræ, nempe villi, & membranæ ſic exeſæ, tanta jactura affectæ debita vi deſtituuntur, premendi ſcilicet, urgendi, eòque ducendi ſuperſtites humores, quò naturæ neceſſitas eos vocat; Glandulæ pariter carent nativa vi, & uſu ſeparandi, necnon pellendi inutilia per earum emiſſaria, vel materiæ contrahentis villos, vel debitæ quantitatis liquidorum vitio, vel indigentia congruæ unionis ſolidorum, vel ob plura, aut omnia ſimul exarata impedimenta. Perſpectiſſimum porrò eſt rerum etiam imperitis fluminis alveum à ſummo ad imum uſque exſiccari, quotieſcumque in alium alveum derivatur aqua, vel in planitiem, aut declivem locum liberè fluit: rem magis evincit pabuli carentia, vel immodica evacuatio, quæ diſſipat, abſumitque certam liquidorum quantitatem, quæ priùs reſpondebat ſpi-

Tranſpiratio immoderata.

ſpiritibus, humoribus, & partibus, viribus, ac reſiſtentiis, nutritioni, atque ſecretioni; qua de re Uterus licèt in ætate juvenili, etiamſi immodicis evacuationibus corpus eliquetur, ſtatim ſuos flores, vireſque conſuetas omninò non amittat, paulatim tamen deficiunt, vel non ſatis regenerantur ſpiritus; non eadem planè in tota fabrica, nec in Utero deprehenditur particularum fluidorum vis, atque ſolidorum textura, nec idem calor opportunam conſervat incolumis temperiei materiam, nec æquè agit uti priùs, ac propterea Mulier conſuetis viribus deſtituatur neceſſe eſt. Tunc autem profectò parum illud utilis, vel inutilis materiei, quod remanet, inertia, lentore, ac tartaro ſcatens adhæreſcit vaſculis, ac veluti torpore ſopitum congelaſcit; ex quo fit, ut indies magis depraventur ſolidæ, & fluidæ particulæ, quæ ſi prorſus non deperdunt ignis moleculas, ea ſaltem, qua priùs gaudebant, igniculorum frequentia carent; ideoque debitas confricationes, contractiones, & diſtractiones, ac proinde congruas Menſium ſecretiones amittunt.

Referre hìc poſſem odores gratos, & ingratos, tetros, ac malignos, qui per nares ad cerebrum perducti vires in quibuſdam Mulieribus variè proſternunt, & languidas pulſationes in corde, ac ductibus ſanguinis producunt; nam odora effluvia in aliquibus Mulieribus, & fumi graveolentes in aliis per nares inſinuati nervos mammillares titillant, penetrant, & concutiunt cerebrum univerſum, & hinc per nervos celerrimè ad cor, eorum affectio communicatur; ideoque ſpiritus, ſeu nervorum

Odores grati, atq. ingrati.

E ſuc-

ſuccus in fugam concitus motum diſſonum elicit, ſensìmque labem acquirit, ac intemperiem, quæ in ſolidis cunctis, etiam ad Uterum ſpectantibus agitationes, tremores, & inordinatas concuſſiones parit; quare tardè, languidè, & inæqualiter in illas inſtillatur memoratus nervorum ſuccus, ac propterea intercipiuntur contractiones, diſtractiones, aliique motus, qui ad inutilia depellenda cenſentur neceſſarii.

Nec ſufficit noviſſe pro Menſium Suppreſſione, quæ progignuntur à cauſis externis, Mulieres namque divexantur quoque à cauſis internis, ut contingit, cum laborant totius corporis laſſitudine; quæ interdum pendet ab immoderati ignis particulis, quæ humores naturaliter fluxiles nimis ſolicitant, cum jam à vinculis prorſus ſolutæ luxurient, & concitent totum ſolidum, & fluidum, imò pervadant, perturbent, illudque moleſtè penetrent, ac reddant ad modum ceræ colliquatæ; ac proinde ſi non omninò machinulas exurant, ſaltem elimant, abradunt, abſorbent, exſiccant, atque in auras abire faciunt multum neceſſarii humoris congruentis tam motui machinularum, quàm circulationi, & ſecretioni inutilium. Rem hanc illuſtrat lignum quantumvis viride cum in magnum injicitur incendium, illius enim ſubſtantia à nulla extremitatum humorem evomit, quia ingens igniculorum vis, & occurſus illius compaginem citiſſimè diſſolvit, penetrat, diſcindit, & humores in ejus ſubſtantia diſperſos abſumit, vel reſolvit: pari igitur ratione ignis particulæ humoribus contentæ, vel organis im-

Cur morbus exorit. à laxitudine, et nimio calore.

implicatæ, ſi minùs æſtuent, certè abſumunt multum ſpiritus, ſanguinis, ſeri, atque lymphæ inſervientis viribus, & motibus ſolidorum, & fluidorum; quæ cum deſtituantur his omnibus, patet jam fibras, & villos, adinſtar corii, inflexiles fieri, ac quodam veluti glutine conſolidari, nec ſpiritu illuſtrari, uti priùs, ac propterea concidere, & privari ea vi, quæ ad peragendas ſecretiones eſt neceſſaria.

Deficiunt item vires in Menſium Suppreſſione, vel quòd ſpiritus purè non regenerantur, vel quòd geniti fœdantur, atque abſumuntur, vel quòd humores non ſunt ſatis diluti, aut ſunt plùs æquo lympha commixti, vel nimis conſiſtentes, & copioſi, aut deſtituti debito igne, ſive eodem nimis referti, vel denique quia fabricam infarciunt, & vitiant, vel incruſtant canales ſanguinis, aeris, vel nervorum. Poteſt namque unio minimorum dicta vaſa componentium aut plùs, aut minùs æquo laxari, ideoque plùs, aut minùs diluta humorum ſubſtantia, variiſque ſordibus inquinata allui, & fœdari; ut ſæpè obſervatur in Uteri glandulis, quæ cum ſint officinæ naturæ friabiles, & raræ texturæ, in quibus perficitur opus ſecretionis, facilè ſtipantur impuris humoribus, qui modò faceſſunt in tartarum, & adhærent partibus lateritiis vaſorum; modò urgent extrorsùm, & fibras laxant, modò concreſcunt, & fibras tendunt, obturant oſcilla, & adeò variè lædunt organa, ut nequeant vires ſuas exerere. Poteſt itaque unio organorum multùm ſolvi, vel arctiori, quàm decet, fœdere, ac niſu adhærere, & in uno viſcere, aut in omnibus obſtrui, & contami-

Virium defectus.

nari, tabeſcere, & exſiccari; imò præpediri poteſt omnis machina, ne ritè perſolvat contractiones, diſtractiones, & preſſiones congruentes rei menſtruæ.

Contaminatio ſpirit. & humor. inertia.

Verùm enimverò ſi memorata ſemina ignis ſero, aut lympha alluantur, vel vinculis cohærcita, & implicata retundantur, adeò ut ſpiritus inquinentur, & humores fiant nimis inertes; tunc motus in fibris, & humoribus langueſcunt, tunc cribra ad effluvia excipienda, & humores percolandos idonea concidunt, & redduntur inepta ad conſueta munia perſolvenda; tunc, inquam, vires, & partium Uteri figuræ, atque pori quantitati lenteſcentium liquidorum, eorumque figuris non aptè reſpondent, nec benè humores ſpiritibus, & partibus congruunt, ſed humores varias corporis partes, quibus adhærent, ibique in modum tumoris quandoque concreſcunt, ita tendunt, vel ſcabra figura, aculeis acutiſſimis, & acrimonia, qua ſcatent, erodunt, & irritant nervoſas expanſiones, præſertim ſexti paris, in lumbis, ſcapulis, & capite, ut modò nimis tenſæ, modò nimis laxæ evadant, ac proinde excitent gravitates, & dolores in capite, pondus, aut debilitatem in lumbis, atque in ſcapulis.

Canalium obſtruct. & nervor. irritatio.

Cum autem Menſium interceptio omnium ferè canaliculorum obſtructionem, & nervorum non levem pariat irritationem, cujus cauſa nervorum fibræ, & ſucci ſpirituoſi in earum ſpongioſa medulla exiſtentes majorem, aut minorem ſenſum doloris inducunt, prout irregulari, ac perturbato motu plùs, vel minùs agitantur, quo tempore communicant

nicant cerebro, ſingulisque ejus protenſionibus tremorem, qui in ventriculo convulſivam illam paſſionem inducit, quæ nauſea, aut vomitus appellatur, hinc mirum non eſt ſalinas, & acidas particulas ibidem retentas, quæ ventriculi membranas pungunt, evomi, & tamen quietem ventriculo non afferre, quia continua eſt, & ſemper perturbata ſpirituum diſploſio à cerebro ad Uterum, ad ventriculum, &c.; imò quia emanare ſolet ab humorum congeſta colluvie, acu veluti quodam pungente, & variè infeſtante Uterum, & nervos, ex eo fit, ut ventriculus memorata irritatione afficiatur.

Pro temperamentorum itaque diverſitate urinas modò craſſas, modò turbidas, rubicundas, aquoſas, & quandoque etiam nigricantes eliminant laborantes Menſium Suppreſſione; nam craſſa minùs liquidi continet, vel quia liquidum illud aliò abit, vel quia fluida, ex quibus urina ſeparatur, ſunt lenta, & viſcida, aut diſſolvente igne parum referta, ideoque lotium, quod ſecernitur, eſt craſſum, & partibus magis cohærens.

variæ eliminantur Urinæ.

Turbida autem magnam præſeferre videtur quantitatem materiei craſſæ, & valdæ agitatæ, proindeque ſolicitantis, atque leviter laxantis vaſa renum, in quibus non ritè, imò etiam aliquandò moleſtè ſolvitur. Rubicundæ itidem, ſive cruentæ urinæ vel emergunt à ſanguine parùm ſero diluto, ideoque igne, & ſale cumulato, cujus particulæ tartaro, & aliis craſſis moleculis intermixtæ hunc colorem impertiunt lotio; vel pendent dictæ urinæ à magna humorum congeriæ urgente, & laxante vaſorum te-

texturam, per quam sine debita separatione labuntur. At nigra sì deponatur urina, arguit maximam copiam adusti, & soluti tartari, simulque minimam aquæ, vel seri quantitatem; cum reliquæ horum liquidorum partes aut vi morbi jàm sint absumptæ, aut congruè in circuitu non commiscentur.

Urina aquosa. Urinæ demum aquosæ, quæ sunt magis communes in hoc morbi genere, particulis carent crassioribus, cum ritè adhęreant vasorum lateribus; ac propterea non comminuantur, nec conformentur vasculorum, & viscerum cribris pro exitu, quia difficillimè moventur humores intra glandulas, & difficillimè solvuntur; imò cruditate, & lento motu, quo pollent, earumdem glandularum fibras sempermagis, magisque infirmant, & obstruunt.

Cum corporis Mulierum fabrica sit nexus innumerabilium organorum, inservientium non tantùm Animæ functionibus, verùm etiam mixtioni, & secretioni utilium, & inutilium, facilè est percipere, tempore Suppressionis non tam Uteri machinam, quàm totius corporis infici, & laxari; ideoque sanguinem languidè, ac valdè deformatum reduci ad cor, ad pulmones, & ad cerebrum, ac propterea ineptum esse nutritioni, depurationi, atque regenerationi spirituum; qui idcircò nequeunt vividè, & expeditè illustrare, contrahere, & distrahere villos astruentes vasa aeris, & sanguinis, unaque fluere & refluere per surculos nervorum; quarè aggregatio diversorum corpusculorum fluida componentium exactè commisceri nequit, & congruis motibus agitari in pulmonibus, & sub eorumdem pressionum

præ-

prelo urgeri, ritèque solvi, & multò minùs in visceribus, in quibus vi moventur fibre glandularum, undè tardè nimis transit, & elutriatur sanguis per subtilissimas fistulas pulmonum, & viscerum; tardaque nimis, & quandoque nimis brevis, & inæqualis est aeris inspiratio, ac respiratio, quia parva, & prava est instillatio, languidus spirituum motus, unaque inæqualis, & nullius momenti diffusio, & contactus molecularum vires exercentium; undè cum vasa pulmonum Mulierum Suppressione laborantium nimis tendantur, & tardis, ac diminutis exonerationibus afficiantur, Mulieres ipsæ anhelitu quadam præpedita respiratione torqueantur necesse est. *Difficilis respiratio.*

Quoties in aliqua Mensium carentia perpendo palpebrarum, & oculorum rubram tumescentiam, toties conspicio tardum liquidorum motum, eorumdem minimas partes malè intermixtas, lympha plùs æquo dilutas, easque ferè stagnantes in fistulis subtilissimis, in spongiis, ac stillicidiis minimarum glandularum, quarum vascula ob texturæ raritatem magis laxantur; ideoque cribra, ac infundibula non consistunt, sed concidunt, atque propterea figuris molecularum fluidarum non congruunt; nec istæ vicissim ritè aptantur figuris vasculorum, & porulorum, per quos transire deberent; quare memorata fluida cuneis duris, & acutis, quibus abundè scatent, elimant, & dilacerant poros, & meatus cujuscunque mollis, ac fragilis villi, & fibræ astruentis glomerem glandularum; imò liquida ipsa non satis evadunt lubrica, sed mutuo contactu coha- *Rubra tumescentia oculorum.*

halescunt adinstar glutinis, adeòque ità vinciuntur in vasculis jam laxis, ut egrè admodum divelli, ac separari queant. Tam diù autem Mulieres hoc symptomate vexantur, quamdiu torquentur Suppressione, & quandoque etiam usque ad extremum vitæ terminum.

Nimium interdum spiritibus impetum imprimunt emansiones Mensium, quæ certè naturæ ordinem intervertunt, cum eorum materies ità stimulet partes singulas sensu præditas, ad quas nervorum stamina pertingunt; ut hæc succutiantur, atque eorum liquidum crebriùs fluere cogatur ad cor, atque arterias, & ab iis item fiat refluxus velocior, quàm par est, versus cerebrum. Necessarius est igitur influxus spirituum animalium per nervum cardiacum, atque adeò necessarius, ut pro varia ratione, qua mutatur, mutetur & stimulum doloris, imò ob retenta inutilia, quorum congeries efficit, ut spiritus citiùs, vel tardiùs permeent per cor, & frequentiorem, vel rariorem, pulsum eliciant. Quare si adaugeatur villorum momentum, necessariò intra datum tempus per tubulos nervorum, & præsertim per cardiacos fluet major ac magis concitata, quàm decet succi nervorum copia; & quo erit velocior, eò citius multiplicabuntur cordis contractiones: quoties ergò multiplicabuntur liberiores particulæ nervorum succum constituentes, & solutæ magis fient, totiès momentum adaugebunt, & cor validiùs, ac frequentius movebunt; si verò imminuatur eorum spirituum momentum, necessariò per cardiacos fluet minor, atque ineptior succi nervorum copia; ideòque lan-

Causa majoris, vel minoris motus cordis.

languefcent cordis contractiones, quarum caufa fanguis mutabit miftionem, impetum, temperiem, figuram, corpufque debita carebit perfpiratione; cum jam interftitia machinularum evaferint oppleta, minùfque idonea ad exitum; &, quod rei caput eft, fuccus nervorum non fatis regenerabitur, vel nimis dilutus fiet, ac vi nativa magis, vel minùs privabitur, quatenus magis, vel minùs luxuriabunt retentæ fæces, vel magis, ac minùs degeneres fient partes liquidorum, quæ debent folidum, ac fluidum inftaurare. Tunc fuppreffa colluvies adeò filamenta cuncta laxabit, prolvet, ac villorum femina obfepiet, ut indurefcant, & quafi faburra, fcobe, & fcoriis onerentur, ac veluti rubigine obruantur; ex quibus fiet, ut vividæ particulæ fupra vires proprias inveniant refiftentias, ideoque contundantur, inertes evadant, languidam explofionem excitent, nullum motum, proportionalem, nullum ufum, nullam congruam reciprocationem exerant; propterea que Mulierum fibræ nimio pondere preffæ, impurifque liquidis nimis faturæ ægrè proprios motus valeant exerere. Interdum verò Mulierum corpora funt adeò humorum congerie imbibita, ut vacent robufta vi feparandi, monendi, ac inftaurandi liquores, quarè per fingula vafcula, cruda, imperfecta, & enervis fluidorum feries languidè excurrit; proindeque poft varios, longofque giros glandularum, & vifcerum fine defecatione debita impura remeat, & paulatim fædat, obfepit, & alluvit univerfum corpus; & præfertim immodica lympha, quæ modò plùs æquo irrigat fanguinem, modo to-

Humorum congeries quid faciat.

F tum

tum corpus, modoque ejus extremas partes ſtipat, pervadit, & infarcit, ac propterea adeò madefacit, & laxat vaſcula, villoſque univerſos, ut difficilè, & languidè moveantur; tum quia ſolidæ particulæ villorum memorata lympha imbutæ reſiſtunt diffuſioni ſpirituum, tum quia activæ iſtorum moleculæ non ſatis reficiuntur, undè jam depaupertatæ, & infirmæ fibrarum reſiſtentias liberè non ſuperant.

Non rarò indurant viſcera, dum villi glandularum flacceſcunt, & proprio conatu, impulſuque conſueto deſtituuntur propter infarctum minimarum molecularum coanguſtantium vaſa, aut replentium interiectos loculos villorum, perindeque prepedientium aliquantulùm motum, ac ſecretionem fluidorum. Aliquandò verò indureſcunt, dum fibræ corrugantur ope fervidæ, atque vividæ fluidorum ſubſtantiæ eo ferè pacto, quo in aqua ferventi muſculi elixati valdè decurtantur, privanturque contentis humoribus, licèt ſemper madeſcant; nam memorati glandularum villi, proximiores nempe nituntur ad invicem vi primi incurſus igniculorum, commeantium ſingula villorum ſemina, ea penetrantium; & quandoque ita diſſipantur congruentes humores, ut non poſſint naturalem mollitiem, laxitatem, figuram, & vim retinere. Imò quandoque indureſcunt viſcera, quia auferuntur à glutinoſis ſubſtantiis particulæ ſeri, vel lymphæ, quarum carentia imminuitur, & perturbatur motus, figura, moleſque liquidorum; quorum particulæ mutuò coaleſcunt, ut contingit in luto, atque tartari concretione inhæreſcente ductibus aquæ, cujus duriuſculæ particulæ in

Quomodo indureſcant partes, & ſuppreſſionem producant.

in modica aqua fluentes tum aſperitate tubulorum, tum proprio contactu, & glutine alias, & alias præterlabentes ita cohibent, ut gravitatem mutent, molem adaugeant, & è ſuo ceſſent curſu; ac proptereà ductus ipſi faceſſant in tartarum, ſeu, quod in idem recidit, evadant adinſtar calcis aquam combibentis, quæ quaſi illinc enutrita in lapidem concreſcit.

Ad majorem hujus doctrinæ evidentiam cogita de aggerie particularum minutiſſimæ arenæ aridæ cujuſcumque irregularis figuræ, diverſæ molis, ac gravitatis: hæ quidem vi propria non labuntur, verùm ſi lutoſam formam acquirant, tunc particulæ aquæ interjectæ nedum arenulas diſſociant, ſed veluti materiæ fluxiles, atque unctuoſæ commoditatem quandam eis tribuunt, ut poſſint excurrere una ſuper aliam, & quodammodo invicem urgeri, agitari; denique in longo itinere ob nativam gravitatem quælibet earum multiplici coacervatione remoretur oportet, ac inhæreat aſperis, & rugoſis fibris vaſculorum, per quæ excurrit; hac propemodum ratione ſanguinis duriuſculæ, aridæ, anguloſæ, crudæ, ramoſæ, ac alterius indolis particulæ, ſi relicta aqua, vel conſumpta, in tortuoſis vaſculis viſcerum, & ſpongioſitatibus illorum deſtituantur debita vi, figura, & mole, ibique viciſsim devinciantur, & acquirant aliam figuram, atque gravitatem; ideo inhæreſcant neceſſe eſt tortuoſis glandularum vaſculis, ea obſtruant, & inteſtinum earum motum præpediant, ne ſecretiones opportunæ peragantur.

Suſpicabitur fortè quiſpiam à quolibet humo-

rum affluxu in musculis abdominis, in villos, ac fibras turgentiam, duritiem, atque tensionem produci posse, eodem ferè modo, & ab eadem veluti causa, qua funes aquam exugunt, & vi cuneolorum aquæ dilatantur, & tenduntur; sed in Mensium Suppressione forsan meliùs, ut opinor, de abdominis tensione cogitabit, si putaverit tam Uterum, quàm vasa, & vasorum villos abdominis adinstar follis coriacei inflari, ac veluti à cuneolis agitati, ac fervidi succi nervorum, sanguinisque circumfusi violenter extendi, & dilatari quousque fieri potest; nam sicuti follis aere plenus dirigitur, induratur, & anteriùs quaquaversum promovetur; imò resistit compressioni magni ponderis incumbentis, ita æstuanti, atque interturbata spirituum vi, ac aliorum liquidorum asperis salis, ac sulphuris, alteriusque generis particulis scatentium, elevantur, & rigescunt villorum, atque fibrarum moleculæ valde contrahuntur; imò rudibus cuneolis, quasi vectibus interjectis, adeò irritantur, & punguntur, ut in modum tensæ balistæ evadant; quod affectionis genus magis, vel minùs perdurare, ac insevire videtur, prout intemperies agentium liquidorum plùs, vel minùs ab inoffensa salute recedit, vel magis, vel minùs textura corporum est rara, vel densa, aut plùs, vel minùs gravata virulenta Mensium sorde; sive veriùs prout major, vel minor est energia, & impetus violentæ pressionis, atque contactus succi nervosi superantis omnem resistentiam molecularum solidarum astruentium cuncta vasa abdominis.

Variis exẽplis durities, atque rationibus confirmatur.

Clariùs etiam quisque percipere potest abdominis

minis tensionem, si concipiat cavitatem Uteri, & spongiosas inanitates fibrarum contexentium singula vasa per ipsum serpentia, quæ suppressis Mensibus replentur, infarciuntur, & turgescunt. Res exemplo sic illustratur; si in aliquo intestino aqua repleto, & utrinque clauso pars una, aut altera, quamvis extrema, impellatur, prematur, aut percutiatur, repentè commotio, & concussio ad oppositum usque ad extremum communicatur cum non modica tensione, tunc fluidorum particulæ stantes ad contactum mutuo impulsu motum diffundunt quaquaversum; hoc pari ratione fieri puto, ut à qualibet etiam levi compressione, ictu, atque irritatione promota in primis nervorum exordiis à cerebro prodeuntibus, ac in quamlibet aliam partem protensis, Uteri vasa, & eorumdem villos concuti, tendi, ac turgere incipiant à momento spirituum, aliorumque liquidorum agentium adinstar fulguris quaquaversum; undè progignitur tensio convulsiva per totam longitudinem vasorum cùm Uteri, tum Abdominis, quæ tamdiu perseverat, quamdiu caussa displosionis violentæ perdurat; qua cessante, dissipatur totius Abdominis tensio, non secùs ac splendor cessat remota flamma.

Dura interdum alvo afficiuntur suppressæ Mulieres, quandò cænosis scatent humoribus infarcientibus fibras, & vasa serpentia etiam per intestina, vel quando humores ipsi carent interjecta lympha; cujus privatione non madefaciunt rugosas fibras, fæcesque contentas, sed alluunt machinulas villorum, & inanitates replent; imò ita tendunt, & convel-

vellunt fibras, ut activiſſimæ particulæ liquidorum nimis jam dilutæ, aut inertes factæ haud exercere valeant motum periſtalticum, adeòque nec reſiſtentiam villorum naturaliter ſuperare. Sive igitur fibræ ſanguine, lympha, ac ſero ita proluantur, ut in modum chartæ madidæ laxentur, proindeque claudant nervorum emiſſaria; vel earum rugæ, filamenta, aut glandulæ inter eas conſertæ craſſa, atque mucoſa colluvie ſaturæ indureſcant, & oſcilla excretoria obturent; ſive humoribus cujuſcunque generis onerentur, itaut membranæ inteſtinorum tumeant, vel ſuccus nervorum fluat ad illas fibras luſtrandas in ſimilitudinem lenti fluminis; vel quadam violenta vi concutiat, penetret, convellat, & tendat ſingulas fibras, aut neceſſarios humores reſolvat, vel quavis alia labe eos inficiat; tunc vis motrix langueſcat oportet, & munus inteſtinorum prępediatur neceſſe eſt.

Somnus Facilè autem ſomnum conciliat liquidorum memorata colluvies, quorum varia geneſis diverſas inficit partes, vaſorumque protenſiones mirè inter ſe implicatas tam in viſcerum, quàm in cerebri grandulis; ac proindè univerſa nervorum filamenta ita laxat, madefacit, ut vaſcula cerebrum obſepientia, eique adſita mutuò coanguſtentur, ac minuſquàm par eſt perſentiant percuſſionis vim ſpirituum, ideoque ſemper magis vitientur miſtiones, fluidarum particularum, quæ ſub hoc vaſculorum prælo languidè preſsę facilè relinquunt lympham nimis congeſtam, quæ tunc non ſolum alluit nervorum incohamenta, verùm etiam interjectas eorum inanitates

plùs

plùs æquo replet; adeòque per osculla hiantia singulorum nervorum se se insinuat, spiritus diluit, retundit, atque irretit, ita ut ipsi naturali impetu vacent, & sic debilitati, ac languidi quiescant.

Idem prorsus accidere videtur Mulieribus consistente ætate confectis, & ad senium properantibus; quarum membranæ, fibræ villi, nervi, cæteræque partes ita incipiunt laxari, paulatim flaccescere, atque extenuari, ut nequeant ulteriùs irrorari debita priùs spirituum illustratione, aliorunque liquidorum opportuno ignis comitatu scatentium, neque uti robusta separandi, ac depellendi vi. Hæc verò laxitas, sive proclivitas in concidentiam villorum, & machinularum omnium progignitur ab imminuta virtute, ob quam singulæ moleculæ ad mutuum contactum non sistunt; imò ab ipso facilè dilabi patiuntur, vel cum obstructione hiantium vasorum, vel cum meatuum, atque interjectarum inanitatum plenitudine. Quanto magis ergo reprimitur vitæ fervor, tantò magis laxatur minimarum machinularum unio, solvitur nexus mistorum, interturbantur semina liquidorum, retunditur illorum impetus; delitescit ignis, ac idcircò imminuitur vis percussionis spirituum, invertitur displosionis momentum, atque enervatur. Quarè villorum robur adeò languescit, ut ne ea quidem, quæ utilia sunt, aptè concinnentur, & multò minùs inutilia per Uteri vasa pellantur. Tota igitur fabrica Mulierum, nulla etiam præmissa causa, transacto quadragesimo quinto anno, vel, quod plurimum est, quinquagesimo quinto, nexum naturalem amittit; ideòque nec vires, nec resistentias

Cur in ætate consistendi cessent menses.

tias

tias consuetas, nec pervios meatus, figuram, temperiem, firmitudinem, connisum, habitudinemque conservat, quibus olim scatebat.

Privantur itaque fluida debito impetu, atque ea, qua priùs pollebant, copia igniculorum fluorem perennantium, ac proindè mixtione illa, quæ cùm sibi ipsis, tum solidis congruit: sensim igitur universæ fibræ, in quas humores inquinati abundantiùs, & imperfectiùs confluunt, imbecilles, inertesque fiunt, præsertim si machinulis ipsarum inhæreant cænosa liquidorum sedimenta, & adinstar pigmenti in malè compactis earumdem contexturis, cohæsionibus, rugis, ac spongiositatibus concrescant: tunc Mulieres, necessitate cogente, venustatem coloris amittunt rugosæ, laxæ, & quodammodò, exesæ, pravisque humoribus imbutæ evadunt. Cogita quesò hìc aquas priùs fluentes, indè subsidentes in campis; observa quid contingat, cum flumen longè, latèque alluit agros, & prata: Si fortè ob nimiam congeriem aquarum, vimque immodicam superet ripas, atque disrumpat, videbis aquas paulatim sistere, deinde absorberi, evanescere, ac superesse in campis limum quendam, non per eandem planitiem extensum, sed per totam illam limi faciem adamussim representare fluctus, & undas; inde aspicies huc partes limi eminere, & attolli, illuc deprimi, & post unam, aut alteram diem disponi in alternum crustarum ordinem: si autem intellexeris sedimentum aquarum tam varia agere, intelliges etiam, quid sint illa liquidorum sedimenta, quæ priùs in sinulis, vasculis, & spongiolis Uteri mutant figu-

Cur coloris venustatem amittant.

figuram, impetum, & ſiſtunt, quæ in meatibus cribris, ac tortuoſis ductibus glandularum aſtruentium viſcera variè coaleſcunt, intelliges, quæ totam machinularum ſeriem componentem corpus Mulierum fædant, & deformant, quæ debita vi amiſſa adhærent aſperitatibus ſolidorum, quæ dilatant, infarciunt, & laxant eorumdem contexturam; demum quæ ſuperficiem, nativumque cutis colorem contaminant, vires, atque reſiſtentias infirmant, & corpus univerſum quodammodò lutulentum reddunt.

Hæc coloris deformitas non raro enenit Virginibus magna lympha, ſimulque rara, vel denſa ſtructura refertis, & aliquandò tam pauco, quàm immodico igne ditatis, cujus vividæ particulæ modò nimis lympha irretitæ, adinſtar prunarum cinere conditarum, minimè ſolvi poſſunt; modò in libertatem nimiam aſſertæ adinvicem concuti incipiunt, agitari, atque ita ſolida penetrare, ut poſt datum concuſſionis tempus omninò vindicentur à vinculis aliorum principiorum, quibus devinciebantur; ideoque majori vi, ac velocitate, cum motum in anguſtis meatibus cujuſvis particulæ excitent, qui potis eſt urgere, & magno conatu ſuperare cohęſiones, fædera, & reſiſtentias machinularum ſolidarum, ſeu, quod in idem recidit, frangere, ac ſolvere earum contexturam, in auraſque diſpergi. Hinc autem fit, ut igniculorum particulæ majori ex parte diſcindantur, & amittant rotunditatem, vel aliis lentis humorum moleculis intermixtæ acquirant figuram ſcabram, ope cujus magis irretiantur ab aliis, atque aliis fluidorum minimis, quæ conjunctum fluorem, & ſuperfi-

Coler fæda in Virginibus.

ficiem relinquant oportet, ac proindè deturpent naturalem Virginum colorem; imò vitiosa labe adeò totam fabricam inficiant, & violent, ut in qualibet etiam minima parte redundante lympha proluvantur corpora, simulque prava liquidorum congerie infarciantur.

His præmissis difficilè captu est, quomodò Virgines nativa igniculorum copia careant, & nihilominus crebro cordis motu afficiantur, ac vasorum sanguinis concussione, quæ universo corpori molestam caliditatem impertiat. Verùm cum eadem sit causa, quæ valetudinis tempore placido, ac ordinato motu cor agitat, ac illa, quæ viribus aucta, tempore Suppressionis, cor ipsum celeriùs, ac vehementiùs solicitat, ut patet de igne, qui, si modicus est, aquam tepefacit, si immodicus, eamdem citò effervescere cogit: ita mirum non est ab eodem succo nervorum intra cor instillato nunc motu leni, ut in bona valetudine, nunc cum frequentia, ut in Suppressione mensium, cor cieri. Nam in morbo celeriùs, & crebriùs, quàm par est, cor agitatur, quia idem succus nervorum consueto acrior factus frequentiùs instillatur intra cordis fibras, arteriarum, ac venarum; quarum adaucta vi contenti humores ita concitantur, ut si quæ adhuc illis sunt superstites olei, vel ignis particulæ, quamvis sopitæ, se se excutiant, & latera vasculorum confricent, effætasque ferè sanguinis moleculas urgeant, simulque minima pulsent fragminula dispersi salis, quæ scabris, & duris aculeis, quibus scatent, irritant, & quaquaversum titillant, & extimulant solidum, & fluidum; seu, quod idem est,

Quare fervor excitatur, & cor citiùs movet.

eſt, calorem ſuſcitant. Si igitur diſſolvantur à vinculis, quibus nectebantur ignis minimæ partes, diffunduntur undique, & evaporant, ut videre eſt in lapidibus calcinatis, & aqua immerſis, in quibus latentes igniculi vi aquæ carceribus ſoluti ſtatim urgentur, concutiuntur, & concitantur in ebullitionem, quæ tamdiu perdurat, quamdiù igniculi ipſi in libertatem vindicantur: quod etiam manifeſtè apparere poteſt in commiſtione acidi vitrioli & ſalis tartari; hoc idem namque partes ſalis acri ſucco nervorum commiſtæ facilè moliuntur, cujus minima ſemina citiùs cor movent naturali motu, caliditatem quamdam, atque fervorem progignunt.

In raræ autem texturæ corporibus oritur ſæpiſſimè hoc morbi genus ab inſenſibilium excrementorum præpedita traſpiratione, quæ aliorum omnium ſimul maxima eſt; exoritur inquam à ſuppreſſione ſeri perſpirabilis, vel alterius tenuis ſubſtantiæ, infarcientis ferè omnes cutis, & viſcerum glandulas, vel replentis, ac impuris humoribus deformantis nervos ſingulos, & minima vaſcula, atque villorum inanitates a dinſtar ſacchi vinarii vini fæculentia imbibiti. Tunc ita dimoventur ſingulæ machinulæ totius fabricæ à proprio contactu, ut loculi hyatus pervii, & oſcilla vaſorum excrementis imbuta obturentur, concidant, atque eorum villi, ac tiliæ minùs æquo cohæreant, ac propterea diſſona ſpirituum inſtillatione luſtrentur. Verùm ſi excrementa præpedita à ſuis vinculis ſolvantur, ut decet, igniculi ſolido, & fluido conſepulti, ac penè extincti quodammodò reviviſcunt, pariuntque naturalem confricationem, fluorem,

Morbus à præpedita tranſpiratione.

& impetum, cujus vi atteritur, & pellitur quicquid in interjectis ſpatiolis fuit congeſtum; quapropter citiùs tollitur morbus, evacuatione facta per poros cutis, quàm per alia loca. Patet ergò ex imminuta traſpiratione lædi fabricam corporis, ejuſque univerſam æconomiam violari, & præſertim in friabili, laxoque Mulierum habitu, cujus ſtamina, ac filamenta vel impuro ſanguine, nimiaque lympha, ac ſero prolvuntur, vel eorum minima ſemina nimia ſepiuntur fuliginum colluvie, tartarique aſperitate inficiuntur, dureſcunt, tenduntur, atque adeò liquidorum ſaburra, ſcobe, & ſcoriis, ac veluti immodica rubigine, ita illaqueantur, ut nullum proportionalem motum, nullum rectum uſum, ac reciprocationem naturalem exerant. Quarè ſi contaminatur fluida, etiam ſpiritus cito diluuntur, irretiuntur, hæbeſcunt, vel quandoquè in auras abeunt, & univerſæ vaſorum fibræ vacent oportet robuſta unione, vivida vi, ac reſiſtentia; imò cumulantur rei acris aſperitate, ac tam rudi, & ſcabra ſalium materia quodammodò eroduntur, ut variis veluti aculeis quaquaverſum perterebrari videantur, quemadmodum tribus ab hinc elapſis annis uſque ad evidentiam rem hanc mihi confirmavit Mulier in Xenodochio Piſarum laborans ſæviſſima ſcabie; hæc enim agebat vigeſimum ſextum annum, & corporis habitudine potiùs rara, quàm denſa, ac temperie ſatis laudabili gaudebat; ſed ex quo primùm vexari cæpit moleſtiſſima ſcabie, noctes plerumque inſomnes duxit, jugeſque ſudores expulit. Adveniente verò algidiſſima hyemis tempeſtate, gradatim ſudores, quibus copioſè exonerabatur, omiſit, ac paulò poſt Menſtrua, quæ ſtatu-

Quæ à præpetita tranſpiratione progignuntur.

ta hebdomada ubertim eliminabat,ita imminuta, & depravata evaserunt, ut in proximo mense penitùs evanuerint. Qua de repaulatim correpta est virium languore, & levi quodam totius corporis dolore, qui citò se commutavit in diram totius cutis vellicationem, cujus vi nesciebat loco stare, etsi pluries fuerint apta remediorum genera administrata: hinc non nullis aliis diebus elapsis, tam ferocis, & contumacis irritationis præpedita, congestaque materies adeò turgida, atque tumorosa fecit communia involucra, ut adinstar strati supra stratum, seu mavis, conditi corii supra aliud crassum corium intumuerint. Idem prorsùs, quod libero obtutu observavi in externis teguminibus, cogitavi etiam de Uteri membranis, quarum fibras, arterias, venas, glandulas, & lymphæ vasa adeò laxa, & extra propriam cohæsionem constituta esse credidi, ut fuerint redacta in modum raræ, ac dissolutæ telæ lento humore madidæ, ac tartaro imbutæ; proindeque coacta fuerint amittere debitam vim contractionis, & distractionis, cujus privatione Mulier citò naturæ debitum prosolvit.

Dissecto autem post ejus interitum cadavere, vidi tam prima tegumenta, quàm Uteri membranas esse eadem labe affectas, tuberosis nempe asperitatibus, squamis, & crustis refertas; vidi ulteriùs memoratas membranas æquare crassitiem trium ferè digitorum, & vasa per Uteri substantiam dispersa, glandulasque illi adsitas esse penitus concrescibili sorde imbutas, quàm humoribus saturas; uno verbo, vidi etiam nudis oculis omnem internam, atque ex-

Cadaveris Dissectio.

externam Uteri fibram esse valde laxam, totiusque vaginæ spongiosam substantiam quodammodò alluvione impuræ, ac erodentis lymphæ ita cumulatam, ut minimę machinulæ nimis laxæ facilè præpedirent transitum nervorum succo, cujus defectu cessavit omnis motus.

Immensus ferè essem, si hìc omnia singillatìm referre vellem morborum genera, quibus organa solida, & singula fluida vitiosa labe inficiuntur, & ea præsertim, quæ tam remotè; quàm proximè Menses retardant, imminuunt, aut quomodocumque depravant; Medentiùm enim cætus non ignorat luxationes, fracturas, contusiones, vulnera, tumores, apoplexias, paralyses, erysipelata, febres, &c. fluxum Mensium non raró vitiare; nam fibræ non solùm, & villi, verùm etiam inanitates interjectæ, canalesque humore nimis fluente, vel quiescente pleni repugnant influxui agentis liquidi nervorum; imò canaliculorum cavitates, fibrarumque dissolutiones, destitutæ debita caloris, & spirituum energia nec ritè premunt, nec agitant, nec urgent liquida circumfusa; quia vires liquidi existentis intra canales, viribus circumfusi humoris quodammodò æquales sunt, adeòque neutrum movetur, tum quia cohæsiones, & contexturæ machinularum solidarum lesæ, solutæ, aut infarcitæ imminuunt momentum liquidis fluentibus; tum quia aliquid ex illis detrahunt, vel adeò prohibent effluxus agentium liquidorum, postquam impleti sunt canales, omniumque partium spongiolæ, ut excitari non possit ille fluxus, & refluxus, qui potis esset urgere, premere, & lustrare

Morbi præpedientes fluxum Mēsium.

re

re debita vi canales introrsùm, & extrorsùm; & quamvis excitetur in primis inchoamentis nervorum, ac perſeveret per eorum protenſiones, nihilominùs moleculæ ſolidæ irritantur, mutant ſuum terminum, & figuram, tenduntur, concutiuntur, obturantur in totum, vel in partem ſpiracula nervorum, violentiam patiuntur, divelluntur, & præternaturali tremore agitantur, ut obſervare eſt in fidibus diſtractis, & nodoſis, quæ ſi variis ictibus pulſantur, nec modulatum ſonum, nec debitas oſcillationes eliciunt.

Vaſcula itaque ſimul intertexta tali motu, & ſenſu, atque exquiſito conſenſu ita gaudere invicem videntur, ut ſi eorum quantumvis minima particula aliquantulùm lædatur in altera extremitatum, ſtatim id perſentiatur in altera; ut obſervare eſt in cytharæ fidibus, quæ etſi leviſſimè in quacunque parte tententur, ſtatim tremor per totam earum longitudinem diffunditur; imò ſi funes in machina conſertæ non fuerint ritè contortæ, atque compactæ, vel ſi fuerint aqua erodente madidæ, exeſæ, atque diſſolutæ in uno, aut pluribus filamentis, eam vim, ac reſiſtentiam diu non præſtant, quæ machinæ uſibus convenit. Quomodocunque igitur lædantur vaſa Mulierum, ſtatim læditur univerſa fabrica, inficitur ſanguis, & paulatim in circuitu recedit à conditionibus illis, quibus antea ſcatebat; quare ſpiritus ab hac ſanguinis materia regeneratus, apta ignis copia deſtitutus, conſueta munia obire nequit; nam ſi liquidorum particulæ connaturali lucis copia priventur, momento citiùs permutent neceſſe eſt reci-

Quomodo motus, & ſenſus depravatus Menſes retardet.

pro-

procationem, figuram, & miſtionem; tunc enim aliæ fiunt ramoſæ, aliæ ſcabræ, & angulares, aliæ glutinoſæ, & nimis compactæ; omnes denique tales evadunt, ut in occurſibus imminuere valeant, ac retardare contactum, impetum, & vim lobulorum ſanguinis, quorum, veluti retibus involvuntur ſuperſtites igniculi, qui in tam modica quantitate redacti fluorem maſſæ conſervare nequeunt, nec urgere, nec inteſtinum motum fluidorum excitare, ideoque, ut par eſt, Menſium ſecretionem promovere.

Cogita quæſo aquas, & juſcula carnium, antequam congelaſcant; cogita metalla vi ignis diſſoluta, & percipies, tum ab aqua, cùm à juſculo ſemina ignis implicari, & à vinculis ſolvi, in auraſque prorſus abire, antequam faceſſant in glutem, aut glaciem; itidemque metalla ad primam duritiem non reverti intelliges, ſi priùs igniculi quamplurimi non evaporent, cæteri adhuc circumfuſi tumulentur inanitatibus molecularum cujuſcunque metalli. Verùm cum poſt venæ ſectionem ſanguis repentè non concreſcat, ſed gradatim poſt datum tempus, in quo lucis corpuſcula in auras evolarunt, aliaque irretita fuerunt minimis globulis liquidorum; hinc facilè inferre licet, antequàm labe memorata laborent Mulieres, liquida cuncta multum lucis dimittere, multumque lucis in propriis vinculis, aut interjectis ſpatiolis detinere, ideoque paulatim lenteſcere; ex quo fit, ut omnes, quot ſunt fluidorum particulæ, ſenſim permutent figuram, vim, motum, & proportionem plùs, vel minùs, citiùs, vel tardiùs, quatenus major, vel minor eſt igni-

Cur humores lenteſcunt.

cu-

culorum proventus, aut copia principiorum involventium, diſſipantium, vel extinguentium igniculos.

Depravato ergo fœdere mixtorum, pariterque diminuta vi percuſſionis, ac liquidorum fluxili natura, regenerari nequeunt humores exercentes vires, & illi, qui in maſſa exiſtunt, facilè adhærent vaſorum filamentis; ideoque in occurſibus non tam atteruntur illorum minima componentia, ut commenſurentur oſcillis minimorum canaliculorum ſerpentium per Uterum, aut cribris, & emiſſariis glandularum viſcerum, ac idcircò liberè per eorum cavitates excurrere, & exire nequeunt; quare ſuis proprietatibus carentes ibidem confuſi manent, ideoque infarciunt, alluunt, & vitiant Uterum, viſcera, ac utplurimùm corpus univerſum.

Menſes Uterum, & corpus alluũt.

Cum autem hæc Menſium retardatio eò major, aut minor fiat, quò major, aut minor eſt receſſus molecularum ſolidarum à proprio cohæſionis termino, vel quò major, aut minor eſt liquidorum quantitas, labes, ac eorumdem vis; hinc facilè quiſque intelliget à permutata vaſculorum cohæſione idem accidere, quod accidit variis fluminibus confluentibus in communem alveum; intelliget, inquam, efformari in eorum occurſibus nunc angulos rectos, nunc obliquos; & quemadmodum confluentia flumina in qualibet poſitione plùs, vel minùs retardantur ad invicem, ita humores variæ naturæ confluentes in vaſcula præſertim Uteri, & vaginæ mutuò opponuntur ope inæqualium terminorum, in quos veniunt & vaſa, & machinulæ canalium, quæ cum ſint extra terminum ſuum, hu-

Cauſa Menſes retard. eſt aliquandòin organ.

H mo-

mores ita retardant, ut hìc unum angulum, illic alium, ſemperque cum mutatione impetus, ac varia ſubſidentia particularum pravæ indolis ad latera vaſorum eo ferè modo, quo contingit in fluminibus, dum ſubſident arenæ.

Res illuſtratur ſimilitudine. Finge quęsò animo dolium, quod diu jam tartari mucore oleat; concipe internam ligni ſuperficiem, concipe poros dolii, & interjecta ſpatiola fibrarum ligni eodem ferè tartaro imbuta; concipe demum fibras ligni à teredine eroſas, blatta, carie, aut vetuſtate conſumptas, ac propterea quaquaverſum inanes, & pervias; indè ſcias oportet, totum dolii lignum, cunctaſque illius vacuitates eſſe imbibitas, & cumulatas ramentis prædicti tartari, cujus materies ſi non expolitè elimetur, abradatur, purgetur, penituſque auferatur, nec ipſum benè olet unquam, nec vinum ſanum, & inoffenſum conſervatur. Qua de re Ruſtici ſeduli, qui dolium malè olens expurgare ſatagunt, modò utuntur aceto & calce, modò muſto ebulliente, modò ſulphure, vel nonnullorum ſimplicium acuti odoris æſtuantibus decoctonibus; modò demùm tempore vindemiarum uvis contritis, fervidis vinaceis, aliiſque conſimilibus remediis, eo fine tantùm, ut igniculi quibus, hæc omnia refertiſſima ſunt, penetrent, ac pervadant ſubſtantiam ligni; ideoque abradant, eliment, ac diſſolvant memorati tartari congeriem, uno verbo fricent, lavent, &, ut par eſt, dolium expurgent.

In contumaci itaque Menſium Suppreſſione tota fabrica Mulierum, vaſa, glandulæ, ac villi, eorumque ſpongiolæ inanes ſunt veluti mucoſo ſedimen-

to

to, atque concrescibili humore saturæ; quapropter Medentes ea uti debent vi remediorum, quæ restituere possint humoribus debitam igniculorum quantitatem, figuram, & impetum; imò libertatem igniculis implicatis, quorum ope liquida trudantur in canales suos, fluantque tali cum impetu, ut eorum momentum sit majus momento omnium resistentiarum, quæ vigent per longitudinem vasorum excurrentium per Uterum, viscera, ac per corpus universum. *Indication.*

His præmissis ad Theoriam pertinentibus, ut ad Curationem prædicti morbi gradum faciam, arbitror ego neminem aspernaturum leniora purgantia, quæ quidem in aere crasso, habituque corporis carnoso, ac pingui per plures vices sunt adhibenda; indè ea methodo, & copia, qua decet, propinanda sunt chalybeata, nam scobs chalybis aceto irroratus, experientia teste, incalescit, quia ignis chalybe consepultus aceto solvitur, & diffunditur, quemadmodùm Vir eximius Franciscus Redi observavit; inde gravissimus Alexander Marchetti rem ulteriùs illustravit, dum poneret chalybis limaturam, sive scobinam supra ignem, quæ adinstar pulveris pyrii illico exardescit; ex quo clarè infertur, etiam igniarium, cum lapidem impetit, multum ignis edere, lapidem verò parum. Quarè si semina ignis, quæ in chalybe delitescunt, vi aceti libertatem nanciscuntur, pari ratione putandum est hoc posse fieri in sanguine, aliis humoribus Mulierum, in quibus multæ sunt particulæ, quæ æquare possunt vim earum, quæ insunt aceto; tales igitur particulæ ita solvunt texturam chalybis, ut ejus igniculi in libertatem asserti confri- *Curatio.*

cent, & penetrent ſolida, & fluida, ideoque pulſent, ac cieant ſuperſtites moleculas ignis involutas, atque irretitas: ſi igitur pluries, ut mos eſt, propinetur chalybs, ſolutæ ignis particulæ ſenſim impertient fluidis primum impetum, figuram, miſtionem, & agendi vim; imò pervadent, confricabunt, ac penetrabunt ſolida, eorumque moleculas, & loculos, &, ſi quid in illis fuerit concreſcibilis humoris, atterent, & quaſi limæ morſu abradent, ac depellent; qua de re magis, magiſque firmabuntur, & fulcientur fibræ, quæ erant jam laxæ, & infarcitæ. Cæterùm ſi principium Curationis eſt cognitio cauſarum, ex hactenus allatis nemo non intelliget, ut plurimùm in hoc morbo evacuationes congruere; ſed aliquandò propter penuriam lymphæ, atque adeò nimiam ſolidorum ſiccitatem adhibendæ potiùs videntur aquæ dulces, aliaque remedia humectantia, ut contundant ignem, qui diſſipat, & abſumit lympham; nam quemadmodum arenæ acervus inſinuari, fluereque non poteſt per canales anguſtos, niſi à copioſa aqua diluatur, ſic moleculæ ſolidæ ſanguinis, & aliorum liquidorum ob ſuperficiei aſperitatem nec moveri, nec diffluere poſſunt per anguſtias canalium corporis, & præſertim per minima vaſcula ſerpentia per Uterum, niſi fluoris aquei admiſtone neceſſariam fluiditatem acquirant.

Remanent adhuc tamen multa, quæ ſunt invoutiſſima, & mille diſputationum ambagibus implicata; ſed brevitati conſulens ab eorum ulteriori explicatione ſuperſedeo, præſertim, cum unuſquiſque ea perlegere poſſit apud per celebres Auctores, ex eiſque

que intelligere, an his meis conjecturis congruentia existimentur, quæ ab eis præscribuntur, & præcipuè à celebratissimo Malpighio Consil. 84.

CAPUT III.

De nimio Mensium Fluxu.

ANTECEDENTIA.

EST nimius Mensium Fluxus eorumdem frequentior, copiosior, ac naturali copia diuturnior exitus, emanans tam à vitio unitatis solidorum, quàm à qualibet labe fluidorum.

Præcedunt plerumque aeris æstus, curæ, solicitudines, contentiones animi, corporisque motus, exercitationes immodicæ, balnea calida, cibi, potusque calidi, repletiones, atque vigiliæ diuturnæ.

CONIUNCTA.

SUnt inappetentia, cruditas, fædus faciei color, pedum ac totius quandoque corporis tumor, atrophia, difficultas ad motum, repletio pravi, cœnosive humoris, dolor renum, partiumque Uteri, virium languor, tabes, & aliquando convulsio, singultus, & animi deliquium.

SUC-

SUCCEDENTIA.

MEmbranæ Uteri naturali contractione contractiles ſunt muſculares catenæ,compoſitæ ex machinulis invicem connexis, quæ fibras aſtruunt, proindeque oſcillatoria viciſſitudine, qua naturaliter, nec plùs æquo contrahuntur, nec naturali plùs relaxantur; & quamvis diverſæ texturæ vaſculis ſimul variè intertextis ditentur, eorum tamen unumquodque, ſecundum variam contexturam, & conniſum machinularum, vim, atque impetum fluidorum, eorumque æſtum plùs, vel minùs confricatur, explicatur, & movetur; imò in interna vaſculorum cavitate majorem, vel minorem humoris fluxilis copiam tenet, prout corpus reſpectu diverſæ temperaturæ majori, aut minori igniculorum quantitate, vaſa explicante abundat. Implentur itaque canaliculi ſinguli, & diſtrahuntur per latera extrorſùm,ſed facilè reſtituuntur; verùm cum in haſce diſtractiones, &contractiones jugiter veniant vi agentis æſtus, diſſocientur tandem oportet coeuntia vaſa, & per eorum oſcilla detrudatur neceſſe eſt ſuperfluus liquor; eoque expulſo, rurſùs poſt datum tempus vi agentis ignis, humoriſque congeſti diſtrahuntur, & contrahuntur, rurſuſque cohæſiones tollunt, & inutile exprimitur; ideoque deinceps ex ordine pergit Uterus hos ſuos alternos motus diſtractionis, ac reſtitutionis. Quarè ſi Uteri motus, alternæ vaſorum contractiones, & diſtractiones, liquidorum æſtus, fluxus, & refluxus, confricationeſque mutuæ ſolido-

dorum & fluidorum poſtquàm diſcluſerunt ſimul hiantia vaſa, explicaruntque Uteri plicas, rugas, ac tortuoſos gyros vaſculorum per Uteri membranas variè ſerpentium, non poſſunt ultra terminum attactum diſcludere canales, nec rugas, plicaſque ulteriùs laxare; tunc propter quamlibet etiam levem cauſam, ſi adaugeantur fluxus, & refluxus, ebullitio, vel æſtus liquidorum, ſuperare qualibet nova vi incipient reſiſtentias omnes, occurſus, atque cohæſiones, undè ſolius etiam æſtus momentum adeò urgere poterit, atque confricare coeuntia vaſa, ut ea ſemper magis aperiat laxet, vel diſcindat fædus texturæ; imò ita ſollicitare poterit liquidorum impetum, ut eorum particulæ ſemper magis attritæ, & flexiles pervadant, perterebrent, atque aperiant canales; & tempore, quo diſcluſio occurrit, vis diſcludens tollet liquidum, illudque pellet extra canalem, qui diſcluditur, Quarè vi motus, æſtus, aut fluxus, licèt multæ ſint, & quidem minimæ reſiſtentiæ in vaſculis Uteri, facilè à memoratis viribus ſuperari poſſunt, uti vi æſtus aeris obſervatur in plantis, quæ varios humores, & reſinas emittunt: ſive igitur vis una, aut altera, aut ſimul omnes agitent, aut quomodocumque cieant, & jactent Uterum, officere procul dubio poſſunt expoſito rerum ordini, modò concitando canalium villos, per quos diſtribuuntur alii minimi canaliculi, qui contrahuntur & ipſi, ac diſtrahuntur diverſa ratione; modò interturbando, modò pulſando, atque conterendo ſupra omnem reſiſtentiam humores, qui ad ſummam attenuationem redacti, vel in modum aquæ erodentis,

tis ditantur ſcabris, ac aſperis particulis adinſtar pollinis, atque idcircò conſcindunt,& diſſolvunt per diapedeſim, rhixin, anaſtomoſim, diabroſim, atque dięreſim vaſorum membranas. Hujus rei exemplum extat in caſtaneis, aliiſque fructibus igne conſepultis, quorum minima vaſcula dilatantur in ea pręſertim parte, quæ manet ad contactum ignis, cujus vi paulatim penetratur tota ſubſtantia interna, concutitur, ſolvitur, æſtuat, & quodammodò ebullit; proindeque ſupra reſiſtentiam ſiliquarum, corticum, vel nucleorum rareſcunt, & tument vaſcula interna, atque externa, ideoque diſcinduntur, ac propterea humor tenuis igne, & aere circumfuſus vario ſibilo, ac fragore diſſilit.

Credat modò quicunque totam Uteri conſtructionem eſſe ita fabrefactam, ut nullus eſſe poſſit diſſolutionis metus, cum illa tam arctè ſibi ipſi, ſuiſque partibus cohæreat, tam firmis innitatur ligamentis, tam validis fulciatur retinaculis, tamque exactè reddatur undequaque æquilibris. Falsò igitur putat, qui ita de re hac cogitat, cum tot tantiſque diſſolutionibus ſubjiciatur Uterus, quot ſunt partes, quibus conſtruitur, quemadmodum ab externis priùs, indè ab internis cauſis lucidiùs infra conſtabit.

Aer itaque igne ſatur, aut conſimilibus effluviis adeò rareſcit, ut occupet majus ſpatium, vel minus, quàm decet, premat corpora Mulierum, quarum humores hoc aere circumſperſi illud idem quodammodò patiuntur, quod pati videtur ſpiritus vini in Thermometro; nam aer in memorato recluſus

Aer Calidus.

ſus inſtrumento non ita ſe habet ad laxitatem quemadmodum aer vitrum circumambiens; cum igitur prædictus aer hic neceſſariò debeat laxari, paulatim permeet, & penetret oportet inanitates ſeminum contenti liquoris, cujus tenuis ſubſtantia, recluſo aeri minimè reſiſtens, tantùm tumeat, & aſcendat neceſſe eſt, quantùm eſſe creditur ſpatium laxi aeris jam inſinuati in interjectis ſpatiolis, inanitatibuſque minimorum ejuſdem ſpiritus. Hac eadem ferè methodo aer diſtractus, & in vaſculis arteriarum, venarumque interſperſus cum premere nequeat quaquaverſum liquidorum moleculas, illicò rareſcunt eorum ſemina, & quantò magis intejicitur aer, tantò magis penetrat inanitates, intercapedines, univerſamque materiam componentem humores, eoſque ita ſubit, ut in libertatem ponat igniculos involutos, alioſque etiam, quibus ſolida organa ditantur. Quare ſi ita cientur, & viciſſim concitantur, ſi tumeſcunt, & concutiuntur, ut magis, magiſque atterunt, & comminuunt ſingula liquida, eaque adeò urgent, & jactant, ut ea reddant ad inſtar aquæ ebullientis, quæ ſolvit, & penetrat cuncta, quæ tangit. Qua de re, etſi in hoc aere vaſa Uteri, & cujuſcumque alterius partis non parùm laxantur, aliquam tamen proportionem ſervant, quæ congruit motui liquidorum, licèt diſtentus aer igneque circumfuſus liberet deliteſcentes igniculos, quorum vi valde cietur ſuccus nervorum, valdeque contrahuntur, & diſtrahuntur villi vaſculorum per Uterum ſerpentium; ex quo fit, ut minoris reſiſtentiæ vaſa debita cohæſione priventur, & labenti ſangui-

 ni

ni viam aperiant, quemadmodum quinque ab hinc elapsis annis mihi rem confirmarunt binæ Mulieres, quarum una cum non semel vaporario usa fuerit, earumque altera propè fornacem calceariam tempore æstus diu, noctuque permanserit, renum priùs dolore torqueri cęperant, & paulò post immodico Mensium fluxu.

Ex his porrò infertur balnea calida, cibos, & potus igne refertissimos accelerare liquidorum impetum, permutare superficiem, & cohærentiam, necnon reparandi, ac perspirandi vim; quia tum per viam cutis, tum chyli non parùm ignis insinuant in sanguinem; qui quò celeriùs fluit, & refluit, eò magis semper augetur vis ignis, cumulanturque liquida consimilibus aliis luxuriantibus particulis, quæ priùs devinciebantur; & quò magis humores fiunt fluxiles, eorumque mutuo affrictu, & excursu incalescunt, eò majores fiunt velocitates, minoresque evadunt resistentiæ, ideoque cohęsiones tolluntur. Hinc non obscurè intelligitur tepentem sanguinem, motuque exagitatum minùs congelascere, ac quando consistit, nam ignis particulæ in motum concitæ, & aliæ minùs agiles, cum facilè evolare nituntur à sanguinis lentis particulis, repentè irretiri nequeunt; imò si eidem sanguini adhuc calido infundatur spiritus vini, cornu cervi, alteriusve vividi liquoris, mira commotio excitabitur: cum igitur usus calidi balnei, potusque vini generosi non parùm impertiant ignis cunctis liquidis, facilè illorum dissolvent constitutionem, eam concitabunt, ac propterea vindicabunt in libertatem alios igniculos delite-

Balnea calida.

te-

tescentes in inanitatibus & solidorum,& fluidorum; facilè, inquam, percipitur ab hujusce causis exterioribus novum motum, transpirationem, ac fervorem exoriri, qui potis est ubiqne concitare occurrentes, mutuoque concurrentes particulis salis, vitrioli, vel alterius indolis ; inde alias, & alias acres, scabras, silvestres, & acuminatas summoperè jactare, aut violenter irruere in membranas lateritias vasorum, eas penetrare, & suis mucronibus veluti tot aculeis, ac morsibus limæ abradere, dilaniare, & quodammodo perterebrare minoris resistentiæ vasa per Uterum excurrentia, ideoque ita sanguinem cogere, & urgere, ut ejus velocitates augeantur, & ubertim fluat, & exeat.

Animi verò contentio adeò exercet, solicitatque spiritus, & lymphas sale, & sulphure plenas, ut nec illi debitum illustrandi modum servent, nec istæ aptè nervos madefaciant, quin imò attenuentur, absorbeantur, vel evaporent; ex quo fit, ut singuli villi, ac fibræ contractiles variis earum stimulis afficiantur, simulque humores tumultuantes, salsi, & acres adinstar maris tempestosi quaqua irruant; & vi percussionis valde concitata ita irrumpant in vascula minima, ut eorumdem spicula acidæ, atque senticosæ substantiæ, aut salium volatilium ramenta, asperæque aliæ, atque irritantis figuræ moleculæ dilacerent contexturam vasculorum constituentium membranas Uteri. *Animi contentio.*

Verùm cum motus, & exercitationes immodicæ fiant ab acutissimis liquidis, forsan nimia salacitate tentantibus, urgentibusque fibras, atque hu-

mores, non immeritò conantur machinulæ ſolidæ, minimaque fluidorum corpuſcula viciſſim agere, confricari, atque adeò ſopitos igniculos excitare, ut ſolida cuncta, & liquida univerſa adinvicem concuſſa removeantur à priori viciſſitudine, atque conniſu; ideoque alternè irritentur, ac propterea humores tunc amittant oportet debitum impetum, ſuperficiem, figuram, & miſtionem, unaque ſpiritus conſuetas vires. Triplici ergo hac agendi ratione haud naturæ legibus conſentanea maximoperè comminuuntur fluida, aceſcunt, æſtuant, ſeu mavis exercent vim molientem remotionem à contactu, cujus ope nimis pervia fiunt vaſa, & qua data porta humores ruunt.

Vaſorum item plenitudo jugiter laxat machinularum niſum, & contexturam, quæ quò magis nititur extrorsùm, aut urget introrsùm vaſorum filamenta, eò magis ſarcina, & pondere illa premit, quæ cum valde humoribns exſaturantur, diſcinduntur, privanturque debita vi, & reſiſtentia, ſeu, quod in idem recidit, activiſſimis ſuccis, molientibus priùs adinſtar vectium vim contra contactum, & unionem, ex quo inde fit, ut magis patula evadant oſcilla vaſorum, atque ita laxentur fibræ, & ſanguis faciliter eliminetur. *Plenitudo.*

Ex huc uſque expoſitis apertè deducitur vigilias immodicas hunc morbum producere poſſe, cum neminem lateat, eas plùs juſto ſolicitare omnigenas fibras variis viribus, diverſis reſiſtentiis, ſive innumeris, atque aſſiduis contractionibus, totidemque diſtractionibus naturalibus, voluntariis, ac ſuperadditis,

quæ

quæ vel lympham nervos accolentem absumunt, vel adeò spiritus quocumque in excubiis manentes exercent, ut plùs æquo effundatur, vicissimque penetrent villos, ac idcircò dissipentur; quo tempore singula corporis filamenta languescant, & conterantur oportet à lacessita vi facultatum molientium tot contractiones, & distractiones, quæ millies, semperque tam variè premunt humores, ut omnes tot, quot sunt, eorum particulæ compellantur magis,magisque concitentur, eamque deindè nanciscatur figuram, impetum, contactum, ac mistionem interturbatam, quæ valeat cohæsionem, vires, machinularumque resistentiam superare, ac proterea earum fædus dissolvere, sanguinique viam aperire, ut lucidiùs infra constabit.

Conjungitur huic morbo inappetentia, & cruditas, quotiescumque partes, humores, & spiritus ita alternè non respondent, ut motus ventriculi, ac partium adjacentium, tum sibi ipsis, cùm eduliis, succisque inservientibus aptæ eorum elaborationi non congruant; nam humores nimio quandoque igne,atque aliis effrenis moleculis cumulati, diversa combinatione, vi, & figura, quibus prosequuntur, salsam, ac austeram materiam præbent glandulis oris, œsophagi, ventriculi,&c. eamque vim contactus exercent, quæ potis est concussionem, confricationeque adeò repetitam elicere, ut torpidam sensationem promoneant in machinulis præsertim laxis, pravisque humoribus imbibitis. Hujus itidem indolis activiores particulæ cerebrum, nervosque accolentes, nimis mobiles factæ, villos præcipue ventriculi, & pro-

Inappetentia.

proximarum partium ita agitant, concutiunt, & laxant, ut ſucci coctiones molientes perperam ſeparentur, ineptèque commiſceantur eduliis; quarè ſi ad contactum veniant nervorum excurrentium per ventriculum, & inteſtina, &c., ea non poſſunt adeò tentare, ut exquiſitus ſenſus famis excitetur, aut quia carent figuris ſcabris, anguloſis, & acuminatis, vel quia plùs æquo irruunt in ſingulas fibras jam laxas, ſenſuque languido præditas; ſive veriùs, quia magis, ac magis infirmant, confricant, urgentque unionem, & contexturam ventriculi, ac inteſtinorum tenuium, eamque infarciunt, & privant nativo ſenſu; ex quo fit, ut tam chyli, quàm aliorum fluidorum craſſæ particulæ non atterantur, nec tenuiſſimæ craſſeſcant, ſeù, quod eſt idem, mutuò non miſceantur, & hac de cauſa cruditates emergunt.

Depravata coctio.

His præhabitis, ſatis liquet organa ſolida, & humores minimè gaudere ea vi, motu, figura, atque contactu, uti decet, ad hoc ut viciſſim reſpondeant in miſtione, & unione, imò in virium diverſarum ſibi viciſſim occurrentium moderatione; Vires propterea diverſæ, quibus pollent ſolidæ, & fluidæ particulæ, teſtantur machinulas jam laxas, extraque cohæſionem conſitas diverſa item reſiſtentia, ac agendi ratione in ſingulis contractionibus, & diſtractionibus proſequi. Quarè liquida influxu, & refluxu, nec invicem defæcantur, nec rediguntur ad illam molis parvitatem, quæ neceſſaria eſt, ut tranſpiratio ſcitiſſimè peragatur, utileſque moleculæ concinnè aptentur ſuis loculis abſque eo, quòd ambitus corporis contaminetur. Verùm enimverò in nimio Menſium fluxu va-

Tranſpiratio impedita.

vasa plùs vel minùs inaniuntur,ideoque plùs, vel minùs privantur corpora sanguine, ac spirituum apta copia, quorum majori, atque minori carentia, vel evanida, ac diluta substantia vasa concidunt, ac propterea universa fabrica pallescit. Res constat etsi aliquo cum discrimine in metallis, quæ quamvis extrinsecè perpolita videantur, tamem cum eorum prima semina vera, intimaque mistione non uniantur, post datum tempus rubigine inquinantur; quia eorum tenuiores particulæ jugiter à vinculis solvuntur, & per poros, atque interstitia metallorum foràs usque ad superficiem asportantur, ibique coalescunt; sic interturbata solidorum, & fluidorum mistio, & unio, sine concursu,combinatione, ac relatione debita principiorum foras usque ad cutis ambitum evomunt innumera effluvia, & fuligines diversæ indolis, saporis, ac superficiei, quæ quidem cutem variè infarcinat, & inquinant. Imò quandoque vasorum, glandularumque villi tam vi propria, quàm superaddita urgent,ac quocumque trudunt per latera humores inutiles; villi propterea cedunt, pori, latebræ fibrarum, atque inanitates laxantur, permutant figuram,indèque transpiratio præpeditur, & aliquando etiam augetur; sed ut plurimùm effluvia consistunt adinstar strati in cute, vel omninò non permeant, idcircò ejus color variè inficitur.

Non raro tumescunt pedes, corpusque totum lympha, alioque humore madescit, dum hoc nimis diuturno sanguinis exitu, nec fluida debitum ignem, nec opportunam quantitatem, nec cæteras conditiones servant, quæ partium fæderi congruere viden-

dentur. Quamobrem neminem præterire arbitror humores pati modicas, vel nullas resistentias, quæ sibi ipsis mutuò occurrere solent, vel modicas, aut nullas, quas in vasculorum partibus, ac parietibus invenire consuescunt. Nam in hoc morbo humores fluentes vim patiuntur, & fluunt impetu adeò accelerato, & valido, ut aliquantulùm superent resistentias singularum machinularum, & occursuum, proindeque levigatas reddunt rugas, suffraggines, complicatasque fibras, quæ valetudinis tempore fluentium liquidorum vim retundebant. Si igitur liquidum per Uterum fluens majoris sit velocitatis, ac violentiæ illa, quæ fit à naturalibus pressionibus, contractionibus, & distractionibus villorum, sive sit major etiam vi, qua invicem cohærent machinulæ fibrarum, nectentium texturam canalium, operæ pretium erit asserere, in tanta partium laxitate tenuiores liquidorum particulas nimis agere, & in auras abire, cæterasque evanidas fieri adinstar parvæ vini quantitatis in aperto dolio conditæ, ac propterea spiritus humores, & partes ita alternè non concurrere, ut coctiones, & secretiones naturaliter peragantur; sed interim spiritus, aliique humores nervos accolentes, plusquàm ratio postulat, evadunt diluti, nec aptè ingenerantur ulteriùs, ideoque singula organa minùs cohærent, & consuetis viribus carent: denique humores omnes naturali mixtione privati plùs æquo videntur cumulari lympha, quæ sensim abluit, & in circuitu infarcit corpus totum, ac idcircò Mulieres cachexia laborent necesse est.

Cachexia totius corporis.

Constat igitur quantitatem sanguinis, à qua eda-

educitur materies producens vim, & motum non solùm depravari, verò in dies magis ita absumi, ut nequeat ampliùs nutrire, & motum, viriumque succos satis instaurare; constat, inquam, fibras, earumque fœdus dirui, penetrari, & abradi, simulque poros, & loculos interjectos permutari; uno verbo, vasa cuncta paulatim inaniri, superficies, celeritates, ac relationes deficere; ac propterea nec spiritus, nec humores, nec partes ita vicissim agere, ut naturales vires integrè exerceantur. *Virium defectus.*

Vexantur jugi renum, ac Uteri dolore Mulieres hoc nimio fluxu laborantes, cum fluida sale igne, ac aere cumulatissima plùs justo concutiuntur, & ad invicem attenuantur, ac proindè irritant fibras nervorum, per quorum hiatus consueto velociùs movetur contentus succus, cujus minima magis, magisque dividuntur, volatiles fiunt, ac idcircò facillimè penetrant villos omnes, quibus impertiuntur multiplici eorum divisione, ac superficie vividiorem calorem; &, quod rei caput est contra naturæ jura permeant filiarum minima componentia, & velociori vi percussionis, qua donantur, removent fibras à proposito termino; ex quo fit, ut Uterus, ac renes magna vasorum copia fæcundati diversis viribus jactentur, & concutiantur, præsertim quando nervorum succus, utpote valde concitatus, irruit in viscera memorata, in quæ uno tempore derivant etiam alii humores scabri, acres, variisque aculeis referti, quorum omnium momento confricatur dolenter tota Uteri, ac renum fabrica. *Dolor renū, ac Uteri.*

Facilè porrò perceptu est hac diutina, atque

immodica ſecretione extenuari fibras, & colliquari organa, tolli ſcilicet cohæſionem partium, tolli illud, quo partes ipſæ in jugem motum, æquilibrium, & conſervationem veniunt; tolli demum plùs, vel minùs neceſſarii ſucci, & aliquandò plùs, vel minùs diſſipari & ſanguinis, & ſucci nervorum, quorum carentia deficiant oportet vires; ac propterea machinulæ inanes, ſpatiola intercedentia ita humore vacua fiant neceſſe eſt, ut ſolidæ particulæ cujuſcumque filamenti in minus deveniant ſpatium, mutent conniſum, priventur facultate, debitaque inſtauratione, & contabeſcant adinſtar corii; quò major ergo, aut minor fuerit Uteri hæmorrhagia, eò magis, vel minùs humores, ſpiritus, & partes amittent relationes motuum, ac virium, magis, vel minùs imbecillæ, atque reſolutæ evadent fibræ, plùs, vel minùs nutabunt, ac veluti diruptæ, & laxæ vacillabunt, & tandem Mulieres atrophia, tabeque confectæ ſæpiſſimè animi deliquio corripiuntur.

Extenuatio corpor.

Nimio autem ſanguine per Uterum exeunte, facilè ſuſcitari poteſt convulſio, ut teſtimonium perhibet Hip. v. aphor. ſententia 3., *Ubi ſanguis plurimùm fluxerit, ſingultus, aut convulſio ſupervenit*; nam poſt nimiam ſanguinis jacturam, poſt ariditatem exortam à lymphæ, aliorumque humorum privatione aliquantulùm exſiccantur nervi, quorum hiatus, & protenſiones non irrigantur apta fluidi copia, cum materies non pauca, ex qua ſuccus nervorum inſtauratur, abierit; & quæ adhuc conſiſtit, adeò acri ſale, ac impuritate imbibitur, ut hujus nervoſi

Convulſio.

vosi succi regeneratio fiat & ipsa necessariò acris, fæda, salsa, & turbolenta; quare dum instillatur in glandulas cerebri, & nervorum inchoamenta, ea ferire, ac lædere videtur, unàque convulsivum tremorem inducere eo pacto, quo experimur in qualibet irritatione etiam levi nervorum, narium, asperæ arteriæ, ventriculi, &c., quotiescunque acu, vel re scabra, acri, vel mordicante punguntur; tunc enim veniunt in tremorem convulsivum nervi quaqua protensi, qui ut exquisitissimo sensu ditantur, tam inanitatem, quàm acido salsum humorem citissimè cum divulsione persentiunt.

Hæc autem nimia secretio plerumque non fit sine fervore, ac vehementi agitatione solidi, & fluidi, sine mutatione videlicet minimorum corpusculorum, quæ erant priùs mutuo fœdere copulata. Si igitur immodicè fluunt Menses, æquo crebriores fiunt motus, assiduèque fiunt humorum concitationes, leves priùs, indè validæ, demum vehementes, & dum fluida veniunt in hasce mutationes, contentionesque suorum principiorum, ineptè canalium parietes tangunt, angulos, ac diverticula non solùm perturbantur, concutiuntur, mutuòque conteruntur; sed etiam quodammodo divellitur è suis loculis quicquid non est adhuc scitissimè commutatum in partes, sed esset proximè commutandum; unde fit minùs cohærens etiam quicquid Uterum componit, quod quidem non eveniret, si humorum semina consueto crebriùs, ac validiùs non exagitarentur ad invicem; ac proindè majori percussionis momento non concuterent, ac veluti eliminarent vasa,

Mutatio solidi, & fluidi.

sa, imò eorum contextum, atque nisum quodammodo non tollerent.

Sublato itaque contactu, arctiorique cohæsione particularum venas Uteri componentium, quæ sunt minoris resistentiæ, communicetur oportet Uteri agitatio renibus, visceribusque, imò corpori universo; ex quo fit, ut fluida vehementiùs fluentia attenuentur, ac diffundantur, ideoque non pauca eorum quantitas foràs dejiciatur: hujusmodi sensibilem effectum ostendit vinum evanidum, & in vappam conversum, cujus majoris energiæ semina, quæ priùs certa mixtione gaudebant, & quodammodo delitescebant, tam vi propria, quàm exteriori, ut in æstu, terræ motu, atque aeris procellosi concitatione, &c. frangunt fœdus mixtionis; atque adeò in libertatem vendicantur, ut irruant in alia componentia, eaque invertant, interturbent, commeent, penetrent, ideoque erodant, atque dissolvant tartarum lateribus dolii inhærescens; & quandoque etiam disjungant concinnatas tabulas, & glutem interjectum dissipent, ac quodammodo perterebrent debiliorem dolii partem, ex qua foras ducunt, & propellunt vinum magis dissolutum, quod priùs exire nequibat: verno potissimùm tempore, & æstivo res ita Juvenibus contingit, ut monet Hip. 3. aphor. senten. 20., nam vi ignis priùs in sanguine delitescentis, deinde soluti, ac veluti accensi disjicitur subitò, & quacumque diffunditur quicquid liquidi in vasculis Uteri inest, ac propemodùm à debita cohæsione removet quicquid ejus machinam astruit. Resistunt quidem vasorum fibræ, quantùm earum pa-

Quid contingat sublato contactu.

patitur connisus, contractionibus, distractionibus, conatibus, velocitatibus, cæterisque superadditis motibus, & quamvis diffusione, & rarefactione succi nervorum, ac sanguinis arteriosi muniantur, turgescunt, ac veluti cuneolorum viribus tenduntur; tamen in morbi contumacia ipse nervorum succus, ac sanguis invicem commixti, igneis, spumosis, suisque turgentibus seminibus, quibus scatent, laxant, & à debito termino removent machinulas fibrarum, & adinstar nitri succensi percutiunt, & solvunt moleculas vasa componentes; & quemadmodum unicum granum pulveris nitrati vi, qua exploditur, & diffunditur, leviter agit, & agitat, impellit, & urget pilas plumbeas, atque ferrum commeat, & penetrat, multò magis congesta granula ejusdem succensi pulveris glandes plumbeas impellunt, ferrum momento citiùs penetrabunt, earumque componentia dissolvent aliquantulùm. Sic tiliæ, ac villi vasorum sanguinis, flammeo veluti liquore lustrati primam cohæsionem relinquent, liquidorum viribus haud respondebunt, ideoque dissoluti fluentibus humoribus, æstuque concitatis dabunt exitum. *Humores nimis calidi vasa aperiunt.*

Mihi rem confirmavit usque ad evidentiam, Mulier trigesimum annum agens, calidaque temperie donata, dum veris tempore, quatuor ab hinc annis elapso, in Pisarum Xenodochio vexaretur simplici tertiana, quæ quoties in accessione calore torquebatur, toties Menses ubertim eliminabat; transactis verò duabus hebdomadis, quemadmodum paroxysmi fuerunt minores, minores item fuerunt ejectiones; sed quamvis febris fines constituerit, semper- *Observatio*

perque minor, ac minor egressus sit sanguis, prorsus tamen non cessavit, imò usquè ad mensem se protraxit secretio; quo tempore consumpto, Mulier iterum vexari cepit levi febri, consuetoque profluvio, quod eo tantùm tempore desivit, quo repressæ fuerunt ignis particulæ, quæ nimis agebant, vel quousque in auras illæ abiere, sive adhuc superstites lympha dilutæ, aliisque ramosis particulis irretitæ non fuerint, uti usu refrigerantium, atque humectantium res hunc finem consecuta est.

Cùm autem Mensium quantitas eadem non sit omnibus, nec eodem modo effluat, sed quibusdam parcior, & aliis copiosior, aliis diù, & guttatim, aliisque diu, & ubertim pro varia Mulierum natura, temperie, corporis habitu, agendi consuetudine, vel majori, aut minori otio, sive pro victus ratione magis, vel minus lauta; hinc consentaneum duxere Practicantes tradere discrimem latens inter sanguinis nimiam evacuationem, quæ per uterum fieri solet atque nimiam Mensium eruptionem; Nam hæc illis solummodò occurrit, quæ sunt menstruis eliminandis idoneæ, ab anno nimirum decimotertio, vel quarto usque ad quinquagesimum; Altera vero, quolibet tempore, ac ætate accidere potest non ex naturæ instinctu, sed ex violenta causa, vulnere, ulceribus, aut qualibet alia vasorum solutione. Insuper discriminari volverunt profluvium immodicum, à profluvio Muliebri, cum in horum altero cruenta sit oportet fluidorum substantia, quæ eliminatur; in altero verò serosa, lenta, albida, flava, parùmque sanguinea.

Discrimen Profluvii muliebris.

His præhabitis differentiis ad hanc affectionem spe-

ſpectantibus ſic cogito: Non ne quò magis, aut minùs tollitur partium cohæſio, tollitur etiam magis, aut minùs reciprocatio, quæ latet inter humores & partes; non ne quò magis, aut minùs augetur, aut præpeditur vis, vel motus magis aut minùs permutatur ſuperficies, figura, & conſueta agendi ratio, qua fluidum, & ſolidum in amicabilem motuum proportionem venire ſolent? Quid amabo ſunt quæ mutuò coagmentantur? Quæ inſtaurant Uterum, villos, & vaſa per ipſum repentia? Quid? quæ hìc cohæſionem conſervant, eamque illuc ſubtrahunt? Non ne illa, quæ vaſa contrahunt, & diſtrahunt, quæ vires, & reſiſtentias exercent, quæ nutriunt, & reparant? quæ cutem modò colore debito tinctam, modo rubigine inquinatam, ac veluti variis maculis conſcribillatam reddunt, quæ nervos, fibraſque convellunt? quæ vires infirmant & animi deliquium eliciunt, quæ languidas, atque exeſas fibras reddunt, & alia mille producunt? Quò magis ergo, vel minùs ſolvuntur, interturbantur, ac diffunduntur humores majoris energiæ, eò magis, vèl minùs propriam figuram, & reſiſtentias confundunt, ac vires invertunt; imò ita infirmant mutuum conniſum, atque invicem inſectantur, ut unionem, ac miſtionem lædant. Quamobrem qui hæc ad examen rationis revocant, intelligunt cuncta vaſorum filamenta cujuſcumque indolis deſtrui, ineptèque regenerari; ideoque paulatim naturam, temperiemque propriam amittere, vires, ac reſiſtentias modò augeri, modò langueſcere, ac propterea humores fluentes conditiones plùs, vel minùs obnoxias conſequi.

Ve-

Verùm cum hæc neque ab omni commotione, nec ab omni impetu salis volatilis, aut ignis peragantur, quemadmodùm nec quælibet nubecula, nec quilibet ventus turbinem, atque procellas ferunt; sic est tutò pronunciandum, nec à quolibet motu fluidorum excitari posse succum nervorum, nec ab omni ictu, aut concussione villorum contractilium promoveri posse irregularem, diutinam, ac vitiosam secretionem; verùmtamem si diù nimis perduret percussio, confricatio, & adaucta agendi vis liquidorum, diutissimè certè perdurabunt comminutio sanguinis, aeris interjecti laxitas, circunfusæ lymphæ concitatio, & salsedo; uno verbo, cujuscumque spirituosæ substantiæ perturbatio, quæ faciliùs irruet in fibrarum catenulas, & tiliarum machinulas; quarum minutissimæ moleculæ invicem alliduntur; sed post certum tempus hujus diuturnæ attritionis fluidorum, & collisionis fibrarum probabile est, multum lymphæ, & sanguinis dissipari. Vis igitur, quæ gradatim per lenem priùs agitationem, indè validam, demum violentam, & quodammodò per saltum absolutam, singulos fundit humores, magisque priùs videtur competere alicui ex liquidis, indèque pedentim fluidis omnibus, unàque minimis particulis solidis, quæ naturali, & superaddito contractionum momento fluxus velocitatem summoperè adaugent; quarè lymphæ, & aeris spiræ humoribus intersperſæ si aliquem caloris gradum supra consuetudinem nanciscuntur, fiunt adeò fluidæ, tenues, laxæ, aut spumosæ, ut in nonnullis Mulieribus raræ texturæ non solùm naturali citiùs fluant, & in modum

Si diu perduret vis adaucta fluxus humorũ augetur.

cunei interjiciantur fibrarum machinulis; verùm urgeant, & ſuſcitent fumoſam, ac malè olentem tranſpirationem, in aliis madorem ſalſum, ac ferè erodentem, in aliis denique ſanguinis fluxum, ſive ſtillicidium adinſtar vini corrupti lentè ex dolio proſilientis vi ſoluti ignis.

Ex hac ergò motus velocitate fit, ut vix concepto paulò majori calore, vix nempe agitatis liquidis vires promoventibus, momento citiùs diſſiliant, & divellantur à toto compoſito tenuiores lymphæ, aliæque memoratæ ſubſtantiæ diffundantur, & in auras abeant. Hinc conſtat ignem ſolido, & fluido circumfuſum eſſe inſtrumentum, quo humores, eorumque ſemina millies, ac millies diſterantur, & tenuitate, qua pollent, diffugiunt impedimenta, offendicula, atque occurſus; ideoque perterebrant, atque adeò erodunt in fluxu, & refluxu coeuntia vaſa, ac eorum emiſſaria, ut ceſſante etiam agitatione memorata ſanguinis exitus eo ferè modo perennet, quo etſi ceſſante vento adhuc tamem fluctuum agitatio perſeverat.

Velocitas, & ignis quid agant.

Interdum humores ſtatuto Menſium tempore concitati majorem reſiſtentiam vaſorum, ac propè innumerabilium rugarum, anfractuum, diverſarum poſitionum, atque occurſuum experiuntur tam in minimis vaſculis per Uterum repentibus, quàm in ductibus ſanguinis conſertis in naribus, oculis, pulmonibus, ore, podice, aliiſque extremis partibus, per quas, veluti per loca imminutæ cohæſionis, & reſiſtentiæ, erumpunt eo ferè modo, quo vinum ebulliens in dolio ritè clauſo, aut cereviſia in utre de-

biliora diſcindunt, & laxiora utris, atque dolii latera penetrant, ſibique facilè viam parant. Verùm ſi ſanguis in Utero congeſtus,vaſculiſque contentus agitatione profunditur, Uterique vaſa laxat, & eorum aperit oſcilla, præſertim dum aer circumfuſus, aliæque particulæ moventes, ſeſeque inſinuantes in partes mobiles, debitam non ſervant relationem, tunc certè minima aeris, & ignis à mixto, quod exolvitur, & à fluido, quod tumeſcit, & concitat, prodeuntia nullibi reſiſtentiam inveniunt; at ſi quid illis occurrit in medio diverticuli, illicò nova vi contactus, novaque trepidatione tumultum ſuſcitant, qui tamdiu durat, quamdiu purioris lymphæ componentia, aeris ſcilicet, ſalis, ac ſulphuris cohæſiones, occurſus, & nexus villorum non ſuperaverint.

Liquidorum momentum eſt extenuandum.

Quotieſcumque ergò vires liquidorum fuerint majores vi, qua cohærent machinulæ fibrarum nectentium membranas canalium, operæ pretium erit exhibere, non quæ addunt momentum liquidis, ſed ea, quæ illud extenuant, ac infirmant, ad hoc ut canales,eorumque partes cohærentes non disjiciantur ulteriùs; quin imò ne machinulæ, plicæ, glomeres, anfractus, & glandulæ intertextæ violentur, magiſque lædantur, ſed liquidorum potiùs velocitates in illis retundantur.

Pus in aliquo Menſium Profluvio.

Non eſt hìc ſilentio involuendum à quibuſdam Mulieribus Menſium Profluvio laborantibus eliminari humores ſaniem æmulantes, eoſque exſurgere vel ab Uteri apoſtemate pus diffundente, ac idcirco contaminante ibi fluentes humores; vel ab exundantibus liquidis ſale, vel igne ſaturis, & plùs æquo ſubſi-

ſiſtentibus in vaſculis, quorum filamenta adeò vellicantur, & eroduntur, ut fiat ulcus, in cujus ſinulis ſi labentes humores plùs, aut minùs conſiſtant, faceſſunt in ſaniem, & pus. Neque hìc eſt prætermittendum nonnullas Mulieres perfrui temperie adeò calida, ut liquida jugiter concitari, viciſſimque conteri videantur, quarè igniculi, tenuioreſque fluidorum moleculæ adeò repetitè fluunt, commeant myriadem cùm Uteri, tum Vaginæ, ac proindè glandulas, lymphæ vaſcula, eorumque emiſſariola refricent, & laxent; uti dilucidè percipitur in corporibus nimia ſalacitate tentatis, ac viro preſſis, ſive veriùs exardeſcentium humorum cumulo pluſquàm decet obſecumdatis, quorum confricatione perennis evadit ſecretio, eaque purulenta, albida, flava, cœrulea, & nidoroſa. Differt tamem à Menſibus decoloratis, quoniam ſuam ſervant periodum; è contra verò Fluor albus quolibet tempore fluit, & ſubſtantia ac colore diſtinguitur, ut proprio capite infra.

Fluor albus.

Qui hæc cogitat, admittet facilè exoriri hunc morbum à ſola vi æſtus agentium liquidorum, ac potiſſimùm particularum ſalis, ſulphuris, ac aeris, quæ in ductibus ſanguinis, in nervis, atque in ſingulis inanitatibus ſolidorum, ita tumultuantur, ut licèt præſto ſint reſiſtentiæ, tamem per ſolam vim æſtus illas ſuperent: qua de re non ſolùm moventur, & agitantur villi vaſorum, & machinularum Uteri, ſed etiam humores, quorum ſeri, ac lymphæ portio excurrens, præſertim per nervos, non parùm in auras evaneſcit, nec parùm violentiæ, ac irritationis nervorum fibris infert. Alia autem lymphæ pars, pro-

Vis æſtùs omnem reſiſtentiam ſuperat.

prios accolens ductus variè premitur, urgetur, jugiterque attenuatur, ſed dum totum corpus reſpergit, facilè abſorbetur, & evaporat; Altera denique ſeri portio liquidis circumfuſa ubique ſeparatur, & præſertim in glandulis Utero, atque Vaginæ adſitis, ex quarum vaſculis excretoriis adinſtar Fluoris albi abundè eliminatur, imò hæc tanto ſulphure, & quandoque ſale, aliiſque volatilibus particulis ditatur, ut citiſſimè permeet vaſa, & ſcatebras illarum glandularum, ideoque cruentum colorem præſeferat. Interdum verò ope nimiæ preſſionis, atque confricationis memoratarum partium, vel ſuavis contactus, aut rotationis liquidorum privatur lympha ſua figura, tenuioribus particulis, potiſſimùmque igne, cujus carentia in interjectis glandularum loculis congelaſcit, ideoque adinſtar amyli ſoluti, vel glutinis, diſpeſcitur, & guttatim depellitur cum virium languore.

Macies & virium exolutio. Si pluries in menſe, aut continuò hæc humorum libertas cum virium diſpendio, corporiſque macie occurrat, permutet oportet ordinem totius œconomiæ, quandoquidem motus, ebullitiones, irritationeſque progigni videntur à mixtione perturbata, vel à ſpiculis in inania molecularum inſitis, quibus nituntur tollere de medio impedimenta disjiciendo hac, & illac mobiliores particulas, eaſque elimando, ac reſolvendo, donec vel ſuperatis omnibus viribus, aut violatis ſingulis naturæ legibus, tabes, aut maraſmodes exurgat.

Indicatio nonnullorum. Variis hactenus cauſis expoſitis, earumque remotionibus ſuffragantur Medentium obſervationes, &

& methodi curativæ, quæ nunc verſantur in coercendis humoribus, nunc in reſtituenda cohæſione ſolidis partibus. Horum autem nonnulli indicationes ad alios morbos dirigunt tamquam ad fontem iſtius, ad tuberculum ſcilicet, vulnus, ulcus, abſceſſum, ſcirrhum, aut ad quodlibet aliud extrinſecum adneniens continui unitatem ſolvens, ac idcircò Profluvium ferens.

Ut vis itaque cauſarum infringatur, præmiſſis, quæ ſunt in communi Medentium uſu, minimè ſperni debent, præſertim ſi vires ferant, venæ ſectiones, refrigerantia, atque humectantia, quæ valent retundere concitati ignis corpuſcula, uti ſunt caſſia, pulpa. Tamarind aqua agri Lucenſis, Noceræ, Ficoncellæ, & balnea ad plures dies. Locum habet lac aqua hordei, vel jure tenui, ac tepente dilutum, ſeroſitas item caprilla chalybeata, vel tinctura chalybis eo tantum fine, ut fibræ diutino morbo laxæ, praviſque humoribus ſubactæ, ac proindè langueſcente igne conſperſæ fulciantur vi novi ignis à chalybe exilientis; vel ut lymphæ ſupervacuæ machinulis, ſolidis circumfuſæ, interjectæ, & irretitæ diſſipentur. Sæpiſſimè uſus ſum Pulvere Peruviano ad plures dies, & quidem feliciter; cujus ſubſtantia modò in tenuiſſimum pollinem, modò in formam liquidam redacta coercet luxuriantes humores, eoſque veluti in vinculis ponit, ut colligitur apertiſſimè ex injectione dicti corticis in ſanguine exeunte è vena ſecta, cujus ſubſtantiæ pars, in qua injectus eſt, citiùs coaleſcit altera, quæ Peruviani Pulveris eſt expers. Laudant mecum alii gelu Corvu Cervi, ſpecificum Helvetii, radi- *Curatio.*

di-

dicem Ipecacuanham, fungum Melitenſem, aeris mutationem, illudque vitæ genus, quod congruit morbo, morbi cauſis, atque ſymptomatibus. Et hac methodo certè ea peraguntur, quæ Ægrotantium ſpem non fallunt.

CAPUT IV.

De Fluore Albo.

ANTECEDENTIA.

VAriis inſignitur nominibus Fluor Albus, cum à quamplurimis vocitetur Menſium dealbata excretio, ſeminiſque profluvium, & à Primeroſio Uteri catarrhus, ſive Rheuma dicitur: hujus ægrotationis ſubjectum ſtatuuntur cuncta vaſa Uteri, & Vaginæ, glandulæque illis adſitę. Eſt igitur morbus hic eliminatio humoris craſſiuſculi, albidi, ſanioſi, atque cruenti, ſimulque congeſti tum in vaſculis Uteri, & Vaginæ, cùm in glandulis, ac inanitatibus memoratarum partium, tam præ laxitate machinularum ſolidarum, quàm vitio humorum eas foventium.

Solent anteſtare exercitationes, motuſque improbi, calida cibaria, otium, ſanguinis nimia copia, & ea plura, quæ calorem, irritationem, atque ſolutionem impertiunt.

CON-

CONJUNCTA.

NON eſt quod inquirantur hujus morbi ſigna, cum ex Mulieribus ægris ea ſatis innoteſcant; nam Fluor albus differet à Gonorrhœa, ut infra conſtabit, cujus modica eliminatio eſt craſſior, atque albo Fluore albidior, eoque longioribus intervallis effluit.

Comitantur morbi contumaciam totius laſſitudo, facies pallida, pedes tumoroſi, inappetentia, ſitis, dolor, calorque renum, ac partium adjacentium, & præſertim Uteri, atque Vaginæ, alia verò plura, ut nimis nota brevitati ſtudens omitto.

SUCCEDENTIA.

SEnſus teſtatur motus quodammodò contrarios, ac vertiginoſos effici à fluido agente intra aliud fluidum, ut obſervare eſt, quando liquida ebulliunt, rareſcunt, ac ſeparantur. Humor namque agens ſe ſe diffundere debet in alias particulas alterius indolis, eas urgere, interturbare, abinvicem disjungere, illiſque novum motum, & figuram communicare. Liquet ulteriùs, motus hujuſmodi ne uno quidem momento naturaliter fieri poſſe, ſed tardo, ac diuturno tempore, ut in muſti ebullitione; cujus minima corpuſcula non libero curſu, ſed mutuis ictibus, ac repulſis ſe ſe concutiunt, viciſſimque retardantur tam ob ſuperficierum aſperitatem, ac particularum incurvationes ramoſas, quàm ob modi-

dicam particularum mobilium vim, qua ſegniter diſperguntur in ſimilitudinem fumi torpido motu ſe per aerem diffundentis.

Verùm cum humores per Uterum, ac per alias finitimas partes fluentes pluries, ac pluries ita dividi debeant, ut per minima vaſcula, unaquæque eorum molecula fluere, ac circumvolvi poſſit; variæ peragantur oportet attritiones, atque ſeparationes, imò ex pluries repetita vertigine, ac diviſione fiant neceſſe eſt diverſæ fluidorum combinationes, ac ſuperficies, ope etiam occurſuum ſtructuræ, figurarum, cribrorum, ac penè dixerim innumerabilium glandularum, & vaſorum, per quæ fluunt, atque meatuum, inanitatum, & ſpongiolarum, ad quas commeant. Sive igitur humores vehementer impellantur, ſive languidè profluant intra poros fibrarum Uteri, ac Vaginæ loculos, aut intra capillaria infundibula, & intercapedines, quæ vix dilatari poſſunt, ſenſim utplurimùm exercent vim accutiſſimorum cuneolorum, quorum momento neceſſariò oſcillant machinulæ ſolidæ; quæ quoties attolluntur, eriguntur, atque inclinantur, toties veluti ſub prælo innumerabilium preſſionum, ac virium inæqualium atteruntur liquida; quorum nova comminutione, vi, & figura augetur energia dilatandi poros, elimandi, erodendi, & quandoque etiam lacerandi partes laterales meatuum, atque vaſculorum ibi repentium. Facilè enim, & expeditè Vagina, paulatim ignavè, ac difficilè glomeramem Uteri laxantur, proindeque eodem ordine dilatantur ſinuli diſtributi per totam longitudinem villorum contractilium,

ac

ac fibrarum, quæ dum contrahuntur, & distrahuntur etiam vi superaddita, earum oppositi termini veniant oportet in aliam positionem, ac propterea memorati sinuli nunc in majus, nunc in minus spatium, & cuneoli interjecti in novam figuram, contactum, irritationem, ac solutionem partium cohærentium.

Patet autem exiliora vasa sanguinis, & lymphæ in testibus, tubis glandulis, universoque Uteri folliculo conserta esse valdè adinvicem fæderata, adeòque constricta, ut labentibus humoribus per has partes erodentis naturæ, ac quodammodo laxitatem inducentibus magis resistant, quàm ductus repentes per Vaginam; cujus intertexta vascula, glandulæ, rugæ, sinuli, atque lacunæ humoribus perpetuò fecundatæ reddunt fibras, & villos membranarum facillimè laxos, & madidos. Quare si rara Vaginæ textura constat tot rugis, tot sinulis, totque patulis, ac omninò perviis machinulis, superflua humorum congerie stipatis; si, inquam, concursus tot villorum, vasculorum, atque instrumentorum, (quæ juxta naturæ leges solùm certa quantitas liquidorum deberet fovere, & madefacere) alluuntur, & quadam veluti salsi, & acidi humoris lacuna obsidentur, proculdubio singula Vaginæ vascula facillimè laxentur necesse est, & adinstar spongiæ, aut chartæ bibulæ fibræ madescant; imò earum filamenta, & inanitates diversis liquidis subactæ tumeant oportet, ex quibus fit, ut in hoc reticulari contextu venarum, arteriarum, glandularum, & lymphæ ductuum emissaria singula, pororum cribra, hiatus, ac cætera forami-

nula aperiantur, & adinſtar ſtillicidii albos, atque alterius tincturæ humores eliminent. Quanto igitur tardiùs, vel celeriùs cuneoli liquidorum ab omni miſtionis vinculo ſolvuntur intrà memorata vaſcula, ſive intrà, aut extra Uterum, & Vaginam impelluntur, tantò citiùs, vel tardiùs diffluunt, ac diffringuntur, ideoque hìc facile coercentur, ac veluti coaleſcunt, alibi difficilè conſiſtunt, quin imò diffunduntur, atque in tenuiſſimum pollinem commutantur. Quamobrem lympha craſſior, aut tenuior, quæ eſt ſemper ſale refertiſſima, aliique humores, in quibus deliteſcunt minima ſemina ſalis, & ſulphuris, plùs, vel minùs diſcinduntur, comminuuntur, miſcentur, atque diffunduntur; prout liquidorum materies eſt liquidior, aut craſſior, vel, quod in idem recidit, prout majori, vel minori libertate, & copia activiſſimarum particularum ditatur.

Qui in Uteri fabrica examinanda verſantur, in eam veniunt ſententiam, ut credant plures ordines meatuum, inanitatum, atque cribrorum in ea reperiri, quorum alia ope præſertim circumpreſſionum, & contractionum ſuperadditarum dividunt combinationes minimorum liquidorum, & excernunt ſanguinem; alia figuras accommodatas habent ad ſeri, & lymphæ ſubſtantiam deponendam; alia demum cuncta liquida huc conjunctè, illuc ſeparatè recipiunt, & deponunt; quarè ſi humoribus Uterum, & Vaginam foventibus motus eſt tardus, tardè illi, ſenſimque aptentur cribris, ſtillatimque fluant oportet; ſi verò motus eſt concitatus, omnis reſiſtentia imminuitur, & corpuſcula liquidorum vivida vi percita

adau.

adaugent motum, confricant, atque ita erodunt vaſcula, oſcilla, atque emiſſariola, per quæ tranſeunt, ut ſuperent eorum reſiſtentiam, ideoque ſenſim, & ubertim eliminentur; & licèt hoc jugiter ſenſibus non pateat, evidenter tamem ſuadetur ex eo, quòd ſudor citiùs, vel tardiùs ad cutis ſpiracula commeat, prout ſanguis miliares glandulas fibrarum, ſpongiclas citiùs, vel tardiùs permeat, & prout majori, vel minori copia, motu, tenuitate, & igne donatur; nam ſi aqua præſertim calida pervadit pellem, ſivè veſcicæ ſuis membranas, quas non penetrat oleum, hinc neceſſariò evincitur diverſa eſſe foraminula contextus Uteri, & Vaginæ per quæ diverſo tempore, ac impetu excipiuntur humores noxii, atque inutiles; verùm ſi glandulæ ſunt glomeres complectentes extremitates plurium vaſorum, arteriarum ſcilicet deferentium ſanguinem intra loculos glandularum, eorumque minima diverticula nervorum derivantium, ac effundentium Succum, & neſcio, an dicam excipientium aliquid à glandulis, quod valeat motus tum vaſorum aſtruentium glandulas, cùm ſpirituum undas lædere, item lymphæ ductuum alibi ducentium humorem ibi ſecretum, denique venarum, quæ ſanguinem exſugunt, eumque in maſſam revehunt; ex his profectò comprehenditur vaſcula, eorumque emiſſaria retinere, ac deponere tales humores, quales neceſſitas ſimilitudinis, & configurationis poſtulat. Ulteriùs comprehenditur humores à viriis oſcillis ſcaturientes vaſa erodere, ideoque per diverſas Uteri, & Vaginæ ſemitas frequenter errare, noxiumque contactum ſortiri, dum viribus inæqualibus ten-

tantur, pressionibus urgentur, & agitantur; sive veriùs dum evulgati canaliculi suis contractionibus introrsum ducunt membranas, & trudunt liquidum contentum; & quamvis membranæ vasorum per latera sint magis distractæ, tamen quasi arcus magis inflexi, cum in restitutionem veniunt, majori vi restituuntur, & agunt in fluidum, illudque ulteriùs depellunt.

Inexplicabilis sanè est positionum diversitas in quam veniunt per corpus Uteri, & Vaginæ illi ramorum rami usque ad exillimos, qui universam Vasorum ramificationem constituunt; nam licèt variis flexionibus ipsi ramorum surculi curventur in semicirculum, intexantur in membranas, plicentur, coëant, & implicentur in glomeres, atque in rugas varias, denique omne genus flexionum subeant, & ad unumquodque punctum singularum flexionum novam humoribus resistentiam faciant; hæ tamen singulæ resistentiæ in minimis potissimùm glandulis persolvuntur, quarum textura cum constet ex tubulis pluries memoratis, & millies convolutis, intelligere facit eos formare cumulum glandularum minimarum; hoc est vasculorum inflexorum, plicatorumque, quorum nimia confricatione, contractione, intestino motu, concussione, sive totius, aut partis improbo exercitio, vel placido, ac suavi contactu, sive impuro motu, ac vi superaddita dilatantur, laxantur, ac veluti aculeis salacissimis vellicantur, ac perterebrantur; & quatenus magis, vel minùs simul intertexta vascula stimulantur, magis, vel minùs aperiuntur eorum oscilla, excoriantur non rarò

membranæ, & quandoque vulnusculis inficiuntur cum exitu icoris mordicantis, purulenti, vel saniosi, ut ex Antecedentibus infra explicandis lucidiùs constabit.

Adnotatione dignum est Fluorem à Gonorrhœa distingui, quorum secretiones etsi inter se aliquantulùm conveniunt, à diversis tamen partibus emanant, per loca diversa foràs eliminantur, variæque consistentiæ coloris, odoris, & naturæ creduntur; siquidem Fluor albus iisdem, quibus Menstrua fluunt ductibus, ejicitur, ut accidit post Mensium Profluvium, à cujus acrimonia, igne, & salaci materia eroduntur etiam exiles lymphæ ductus serpentes tam per Uterum, quàm per Vaginam; ex quibus tanquam ex corporis sentina pravi coloris humores deponuntur, aliisque intermiscentur liquidis, & depelluntur. Erumpit autem noxius Gonorrhœæ humor in Mulieribus ex glanduloso corpore, sive à prostratis urethrę circumpositis, indè per lacunas in circuitu meatus urinarii intra ipsum, & in ejusdem termino collocatas foràs ducitur; malè enim affectæ observantur urethra, prostratæ, totiusque meatus urinarii partes, tumidæ nimirùm, & quandòque etiam obnoxiæ ulceribus pessimæ notæ, quæ non raro protenduntur usque ad labia pudendi, ut alibi apertè explicabitur. *Fluor distinguitur à Gonorrhœa*

Albus itaque Fluor sive à totius habitudinis vitio, sive Uteri, aut alterius partis læsione Mulieres cujuscumque ætatis, & temperiei, sed plerumque ætate maturas corripere solet. Plurima præsefert incommoda in Viduis, Conjugatis, ac vitam cælibem du-

centibus, sed majora in illis, quæ longo temporis cursu spernunt curationem, vel totius corporis cachexia laborant.

Præcedunt hunc morbum nimiæ Veneris exercitationes, catharticorum, thermarumque abusus, improbi corporis motus, & calida edulia, quorum omnium vi adeò humores omnes alternè occurrunt, in suisque occursibus mutuò urgentur, confricantur, concutiuntur; atque adeò pulsantur vasa intercurrentia per Uteri, cervicis, atque Vaginæ substantiam, ut plùs, vel minùs liquores attriti, sale, & igne saturi diffundantur, mistionisque, ac unionis fædera dissolvant. Quarè in hujusmodi confricationis, ac percussionis vi recedant oportet à proprio termino fibræ vasorum, imò vasa ipsa distendantur, ac propterea plùs, vel mioùs noxios humores evomant; quorum quantitatem modò majorem, modò minorem secernunt, prout humores sunt magis, vel minùs mobiles, erodentes, igne, ac sale circumfusi; quorum momento valdè solicitantur vasa, contrahuntur, elimantur, perterebrantur, atque solvuntur cum exitu cruenti, & albidi humoris.

Humores sale, & igne saturi vasa solvunt.

Otiosa verò corpora nimia onerantur copia humorum, qui sicuti priùs constabant corpusculis quantis, & figuratis, paulatim non solùm amittunt figuram, debitamquè congeriem, verùm etiam relinquunt proportionem, æquilibrium, superficiem, & impetum; tandem ob diversam eorum combinationem amittant oportet hoc, illudve fluidum jam in massa contentum, quo vehi, & revehi, subire exi-

Otiosa corpora humoribus onusta.

exillima vaſcula glandularum, atque ſeparari poſſint; Lenti etenim fiunt humores, & villi Uteri, & Vaginæ facilè infarciuntur, tum quia deſunt, quæ adeſſe deberent, tum quia adſunt, quæ non deberent adeſſe. In longo itaque otio vel liquida ditantur plùs æquo ignis quantitate abſorbente ſeroſitatem, quæ inſervire debet pro vehiculo, vel carent debito igne ſe diffundente; ſive veriùs fluida hujus indolis conſiſtunt in memoratarum partium minimis canaliculis, ſuiſque aſperis, vel anguloſis particulis pravæ indolis dilaniant, ſolvunt, & aperiunt vaſorum hiatus; vel, quod plurimum eſt, diu in ternuiſſimis vaſculis ſtabulantes moleculæ aceſcunt adinſtar vini in dolio acetoſo; ex quo fit, ut cuncta fluidorum ſemina perturbentur adinvicem, adeòque moveantur, ac veluti tot ſcalpris excorient loca, per quæ tranſeunt, ac propterea liberent igniculos in vinculis detentos, quorum ſolutione penetrantur membranæ, faciliùs laxatur textura vaſorum, & ſtillatim fluit, & exit albus Fluor.

Toties poſt diuturnum otium labefactantur univerſæ vires, quoties in ſingulis villis, fibris, muſculis, internis ſpongiolis, intercapedinibus, vaſculorumque anfractibus ſtabulantur, & coaleſcunt lenti, ac inertes humores ſupra omne momentum fluidorum vires facientium, vel quoties particulæ ignis, aliæque ſimilis naturæ in memoratis ſinulis iucluduntur, & implicantur, quæ ſi à novo humorum fluxu, & refluxu diſſolvantur, eiſque egreſſum concedant, in tranſitu non poſſunt quin partes laterales celeriùs, & vehementiùs agitent, ac veluti ſcal- *Virium laxitas.*

pris

pris abradant pororum ostiola, eaque relaxent, nec inquam possunt quin novùm motum in fibrarum machinulis imprimant, adeòut aliæ humorum interfluentes moleculæ activissimæ adinvicem disgregatæ solvant, & dispergant adinstar ceræ igne tentatæ filamenta priùs Uteri, & Vaginæ, indè totius corporis cum virium jactura.

Stimuli, calor, sales & alterius indolis humores morbum producunt.

Vasorum igitur fibræ salium stimulis exagitatæ, vel calidis nervorum inquinamentis; aut alterius naturæ liquidis concitæ, ac veluti dissolutæ adeò interdùm solicitantur, ut impellant, urgeant, & agitent contentum liquidum; quarè canales vehementi eorum contractione, & distractione prestò sunt non solùm introrsùm niti, verùm quodammodò ducere introrsum, & extrorsum singulas membranas; ac propterea succum nervorum facilè disperdere, simulque evomere extrorsum lutulentos liquores quocumque circumfusos; membranæ namque Uteri, & vasorum ejus per latera magis distractæ, quasi arcus magis inflexi, cum in restitutionem veniunt, majori vi restituuntur, hoc est majori impetu contentum liquidum urgent, eique libertatem exitus impertiunt; tum quia attritas jam humorum particulas reddunt minutissimas, tum quia earum cohæsiones cum superficie canalium imminuunt; & fibras ita exclusas, & languidas reddunt, ut per infirmas, & madidas Uteri, & Vaginæ partes impuri humores quasi spontè dejiciatur.

Quò majori ergò fæcundantur corpora quantitate decurrentium igniculorum violentiam fibris inferentium, eò magis exagitatur, & conturbatur

massa

massa liquidorum, quorum unaquæque particula privatur superficie, vi, debitoque contactu, simulque spoliatur interjecta lympha, cujus substantia citò æstuat, & forsan absorbetur, vel concrescit; proindeque partes solidæ venire coguntur in alium terminum, & carere debita instauratione, ac fædere, ideoque non possunt spirituosæ ignis particulæ, quin in auras resolvantur. Quantò magis igitur humores istis pravis differentiis imbuti disgregantur, & irruunt versus Uterum, tantò magis fibras inficiunt, & contaminant; imò eorum terrestres moleculæ se se mutuò dissolvunt, & cæteras inquinant ea fere ratione, qua pulvis terreus intra aquam infusus, qui eam cænosam reddit; sive ergò hujusmodi humores impellant, aut urgeant vascula, aut alii alterius indolis velociùs, quàm par est, vel consueto tardiùs fluant, & refluant, sive veriùs fibras præsertim Uteri alluant, tunc perperam commiscceantur oportet, sortianturque propterea juxta diversam eorum perturbationem calorem, energiam, odorem, variamque consistentiam penès ætatem, temperiem, corporisque habitudinem, ita ut sibi ipsis viam faciant per Uterum, ut ab excretis satis colligitur, & à conjunctis infra declarandis clariùs constabit.

Quò major est calor, eò magis hoc morbo læduntur Mulieres.

Pallescit facies, & pedes tument, quotiescumque diu fluit, & exit è vasculis Uteri albus humor, cujus noxia semina nec sunt, nec naturaliter remanent in vasculis sanguinis quanta, & figurata, uti decet; sed ea, quæ adhuc supersunt, adeò confunduntur, & in novo circuitu intervertuntur, ut

Faciei pallor, & pedum tumor.

ignis particulæ, si non restinguantur, saltem contundantur, aliisque implicentur, ac propterea lympha nimis adaucta, & forsan exundante alluvantur, & contaminentur tum humores, cùm partes universæ.

Sic igitur enervati villorum omnium filamentis, & impura lympha plùs æquo dilutis, atque fædatis, cujuscumque indolis humoribus circumsepiantur oportet, imbuanturque pravis istis liquidis, ac idcircò tumeant necesse est machinulæ villorum, & fibrarum; imò earum tiliæ jugiter irritantur, &, quod rei caput est, intercepti canaliculi salsis, & acidis humoribus potiùs lacessiti, quàm resperси paulatim laxantur, quælibet namque fibrarum machinula non solùm naturalem vim, & connisum amittit, verùm etiam inficitur, ac propemodùm concrescentium humorum congerie infarcitur; fluunt nihilominùs quaquaversum, sed languidè, & difficulter fluunt humores, deorsum tamen facilè descendunt, nec indè ob contractilium villorum laxitatem, ob spirituum depauperationem, aliorumque humorum vires exerentium penuriam ea ratione, qua decet, sursum non revocantur in circuitum, quin potiùs subsident, & tumorosas reddunt partes extremas.

Famis privatio. In tanta itaque partium laxitate, & labe liquidorum non est, qui non afferat, famis organum ventriculum, ejus villos, & glandulas, cæterasque in universum esse semper impuris humoribus imbibitas, ac veluti hebetatas; ideoque nec in ore, nec in oesophago, & multò nimis in ventriculo, & glan-

glandulis ei adſitis ea liquidorum genera ſeparari, quæ famem excitant; non eſt, inquam, qui non ſentiat languorem, & fibrarum imbecillitatem haud poſſe tales vires, contractiones, & diſtractiones moliri, quales congruere videntur illis ſecretionibus, quibus exonerari ſolet corpus vitioſa gravatum humorum ſarcina, ac propterea reverti ad eam machinularum cohærentiam, ad illam ſpirituum copiam, impetum, & puritatem, uno verbo ad illum contactum, & ſenſum, qui intercedit inter maximas, & minimas rerum partes, ſeu, quod in idem recidit, ad illam relationem, atque alternam agendi vim, qua vellicari, irritarique poſſint nervorum filamenta ventriculi, indèque alia, & alia in univerſum, uſque quo famis affectio provocetur, quemadmodum publici juris feci in nuperis meis Exercitationibus Lucæ editis ſub numero quinto.

Privatur certè corpus diu Fluore albo affectum congruenti humorum quantitate, quorum defectu partium, atque humorum æquilibrium communis organorum conſenſus deficiat oportet; tum quia maſſa ſanguinis obducitur ſero, & lympha contundente ſalis, ac ignis corpuſcula; tum etiam quia vaſorum omnium villi, glandularum fibræ, atque muſculorum funiculi, & quandòque interjecti loculi, & filamentorum inanitates prorsùs exſuccæ fiunt, & adinſtar corii arent; imò ſalium aculeis, & aſperitatibus vel acutiſſimis angulis aliorum minimorum ſtimulantur ſingula inſtrumenta, & tali percuſſionis vi, atque contactu, qualis potis ſit in ore, gutture, eoſophago, & ventriculo, nec non in qualibet membra- *Siccitas, & ſitis.*

 na,

na, fibra, ac nervorum protensione siccitatem illam impertiri, quæ valeat sitim excitare.

His præhabitis ratio suadet ægras modò torqueri dolore capitis, & renum, modò Uteri, atque Vaginæ immodico calore, & cruciatu, præsertim si massa sanguinis benignioribus vacua particulis; imò satura nitrosis, atque salsis seminibus, aut acidis, ac pungentibus moleculis subacta alluat, contaminet, & lædat Uterum, atque Vaginam; ac proindè erodat, stimulet, ac lacessat stamina cuncta invicem mirè intertexta, singulaque vasorum genera Renibus, Utero, ejusque finitimis partibus fæderata; nam si tela tentatur, si trahitur nimirùm filamentum unum in rectum protensum, aut trahatur alterum, quod superequitat, in obliquo, simul omnia repentè debent moveri, illicò debet diffundi, & communicari tremor usque ad oppositas telæ extremitates. Ita membranæ, nervi, & innumera vascula variè adinvicem implicata, ac in Uterum protensa, si labentis humoris vitiò omni acrimonia, & sale referti stimulentur, & pungantur, illicò tendantur necesse est, & tremore concutiantur nervi capitis, eorumque involucra, nervi item Renum, Uteri, Vaginæ, Tubarum, aliarumque partium adjacentium. Quocumque ergò modo irritantur, aut dilaniantur memoratæ partes, quasi aquæ stygiæ contactu, dolore, sive calore supra omnem resistentiam vexantur, & solvuntur; sive variis ulceribus contaminantur.

Dolor capitis, renum, Uteri atque Vaginæ.

Cum Mensium Profluvium (haud interdum dubia causa hujus morbi) velocitatem, ac libertatem humoribus adaugeat, simul adaugeat oportet vim com-

Fluorem producit mensium Profluvium.

compreſſivam, qua Uteri, & Vaginæ partes conſtringuntur, atque comprimuntur, ac proinde imminuat reſiſtentiam, atque laxitatem inducat in ſingulis rugis, in omni ramificatione flexuoſa canalium, uno verbo in omni puncto ſingularum flexionum vaſorum ſanguinis excurrentium per Uterum, Vaginam, &c. Quarè ſi Profluvii, ac albi Fluoris eædem recenſentur cauſæ, uni, & alteri morbo communia debent eſſe ſymptomata.

Exſurgere autem Fluorem album à vitioſa temperie totius corporis declarant tabes, cachexia, atque flacciditas organorum, quorum rara textura apparet ſolùm imbibita dilutis, lentis, noxiæque indolis humoribus in modum ſpongiæ cænoſa aqua madidæ; quorum diutino vitio fibræ, & villi contractiles tabe, vel maraſmo conſumuntur; vel quod minimum eſt, pravis, ac deterrimæ indolis moleculis fluidis infarciuntur, ac propterea omni humorum impuritate ſaturi, quaſi per Uteri, & Vaginæ colluviarium foràs derivant lympham fæculentam, alioſque ſimul cænoſos humores. Exſurgere item conſtat ab Uteri, & Vaginæ vulnere, tumore, ulceribus, quorumcumque Viſcerum læſione, aut laxitate horum; ſoluta unitate humores ad Uterum derivati nec benè miſcentur, nec defæcantur, ſed ſinguli pravas illas nanciſcuntur differentias, quæ valent coeuntia vaſa aperire, ac ſeipſos excudere, & tunc Patientes ſumma cum moleſtia premuntur. Exſurgere demum patet à Menſibus plùs juſto detentis, vel à nimio conatu difficilis partus, in quibus affectionibus ſæpiſſimè ſecernitur ſanioſum, & icoroſum quoddam jugi

Fluor à Vitioſa temperie.

cruo-

cruore perfusum, quia nequeunt machinulæ fibrarum, earumque disjunctæ cohæsiones restitui ad primum connisum; quarè per raram illam contexturam, forsan exsolutam, & flaccidam vasculorum per Uterum, & Vaginam repentium, quasi per saccum diffutum, & infractum stillatim effluunt sanies, lympha purulenta, vel dealbatus cruor; quorum lutulenta substantia supra resistentiam vasorum congesta adeò imbuuntur, & madent pudenda, ut tumida, & stillantia fiant.

Observatio cadaveris. Rem diu jàm mihi planam fecit Mulier vigesimum quartum annum agens, quæ post nimios conatus partus difficilis correpta fuit sævissimis doloribus in tota regione abdominis, & potissimùm in Utero, & Vagina cum cruore priùs prodeunte, indè minus florido, posteà pallido, demum lata lochiorum effusione. Quibus symptomatibus post sexagesimum à partu diem aliquantulùm moderatis, exsurgere cèpit è cubile, sed majori dolorum molestia, ac ulteriori exitu Fluoris albi torquebatur. Tertiò autem à partu mense evanuerunt dolores, sed Fluor albus adhuc perennans universum corpus valdè extenuabat; demum post nonum mensem, quasi liquidorum fomite subducto, corpus aridum, & macie consumptum evasit, ac idcircò fons vitæ, & stillicidium albi Fluoris uno tempore cessarunt, non aliter ac rivuli exarescunt ex pluviarum penuria. Aperto itaque recta laniene cadavere, nudis oculis aspexi Uteri fundum, ejus cervicem, & Vaginam esse quaquaversum tectam tumidis vasculis tum lymphæ, cùm sanguinis, unàque variis, ac inæqualibus glandulis,

lis mole adauctis, atque prominentiis adinſtar hydatidum, & cotyledonum; in interjectis verò ſpatiolis excoriationes, ac ſciſſuras, hìc rubro, illuc nigro culore perfuſas obſervavi, indè lata, & rotunda Uteri ligamemta non parùm laxa, Tubas Falloppii, multis, itidemque tumoroſis vaſculis, & præſertim lymphæ fæcundatas; item libero obtutu vidi foramen in Tubarum extremitate ſatis adauctum, illique circum adſtabant involuta, & implicata vaſcula, quæ ob eorum laxitatem nodum funis pluries implicati emulabantur: obſervavi ulteriùs fimbrias Tubarum, quarum beneficio Tubæ ipſæ plerumque teſtibus annectuntur, eſſe tenſas, & vaſorum myriade refertiſſimas, Teſtium item ligamenta, quibus Utero conjunguntur, multis vermiformibus vaſculis lymphaticis, aliiſque craſſo, ac veluti arenoſo humore plenis; tandem clytoridem, ejus crura, & muſculorum principia, ſimulque nympharum, meatum urinarium, ac pudendi labia eſſe extra choæſionem ſuam, ac multis aſperitatibus & prominentiis onuſta, imò nigro, ac flavo liquidorum colore inquinata; &, quod rei caput eſt, labia, & Vagina variis in locis erant ita dura, & rugoſa, ut humores concreti, ac ferè tartarei vix cultro cederent. Ex iis aſſerere non dubitavi, non rarò morbum hunc progigni à partium ſolutione, ut de Profluvio aſſerebam.

Hæc rationibus, & obſervationibus innixa doctrina multorum animos ad ſe allexit, ideoque Medentes excitat ad ejus examem: quamobrem alii fulciunt fibras nimis laxas, & ſolutas, alii liquidorum impetum retundunt, & calorem temperant tum præſcri-

Judicatio curationis.

ſcriptionibus Aquarum Thermalium, & præſertim agri Lucani, quas jure optimo laudat, & commendat diſertiſſimus, atque doctiſſimus Regali; tum uſu lactis, cæteriſque auxiliorum generibus, ut de Profluvio Menſium innuebam, ſive veriùs, ut de Fluore albo conſil. 86, & 87 publici juris fecit Vir cognomento immortalis Malpighius.

CAPUT V.

De Paſſione Hyſterica.

ANTECEDENTIA.

UTeri ſuffocatio eſt diverſorum affectuum invicem concurrentium ſeries, oppugnans virtutes, actioneſque nunc unius partis, nunc plurium ſimul. Variis inſignitur nominibus hic Morbus, à multis enim appellatur Strangulatio Uteri, Paſſio hyſterica, Convulſio Uterina, Spaſmuſque nervorum, ab aliis Aſthma, & Hypochondriaca ſuffocatio, cujus vi plùs, vel minùs vexantur Mulieres, quatenus magis, vel minùs Uterus, cerebrum, & nervi à pravis humoribus irritantur.

Huic Morbo præcurrunt otium diuturnum, vita inexercitata, animi angor, nimis lauta victus ratio, humorum plenitudo, naturalium ſecretionum carentia, vigiliæ improbæ, & his ſimilia.

CO-

CONIUNCTA.

ADhærent Paſſioni hyſtericæ virium languor, pallor faciei, vel rubor penè flammineus, nauſea, murmur ventris, alvi proluvies, reſpiratio difficilis, anguſtia œſophagi, palpitatio cordis, pulſus imminutus, ac veluti abolitus, tremor in toto, vel in parte, delirium, vertigo, ſurditas, cæcitas, dentium, capitis, manuum, aurium, aliarumque partium dolor, urinæ ſuppreſſio, vel ejuſdem profluvium; abdominis, & contentorum partium tenſio, vel convulſio, oculorum inflammatio, lacrymæ involuntariæ, vocis privatio, vel garrulitas, ſenſus, & motus interturbatio, demum ſudores, madores, atque frigus extremitatum. Quorum omnium modò hæc, modò illa magis, vel minùs infeſtant, vel citiùs, aut tardiùs recurrunt prout major, vel minor eſt vis cauſarum.

SUCCEDENTIA.

AD hunc Morbum ingenerandum concurrunt ſæpè prima rerum ſemina, mole quidem parva, ſed maxima virtute, quorum vires inæquales, motus diſſoni, figura, ſitus, & proportio inconcinna, cauſæ plerumque ſunt diverſarum affectionum, quæ difficillimè curantur, ut obſervant, qui Mulieres, earumque temperiem, humores, & partes rationibus, & obſervationibus ſedulò examinant; ex his autem clarè patet, quàm facilè ſit prima fluido-

rum componentia mutare ordinem, vim, & mistionem, ac idcircò varia symptomata inducere per solam eorundem interturbationem, quæ quò plùs, vel minùs excrescit, ac veluti varias procellas excitat, eò magis, vel minùs laxat, & depravat cohærentiam aptam, atque contactum minimorum componentium, ità ut mutuò obire nequeant ampliùs actiones proprias, easque moliri vires, ac reciprocationes, quemadmodum decet; nam tunc corporis partes vitio correptas dicimus, quùm debita ratione sibi non respondeant, neque illis est ulla concordia, ac mistio; tunc enim connisus machinularum perturbatur, ex quo oritur dissolutio; cum activiores, magisque effrenes particulæ, quæ delitescebant, vel implicabantur, liberè erumpant, ac tumultum suscitent in tota fabrica; imò cum resistentiam non inveniant, suapte natura se se diffundunt, laterales fibras urgent, alternèque lædunt, atque læduntur; si verò partium aliqua resistentia illis occurrat, quæ sit superabilis, quantum hæc illis adimit virtutis, tantum pars vel se se retrahit, vel laxatur.

Toties igitur lucta prædictarum partium intenditur, vel remittitur, quoties solida pars cedit, & laxatur, fluidumque tenue repentè effunditur, præsertim si ab utroque suboritur effluvium volatilium particularum ignis naturam redolentium, quæ sui juris factæ vehementiùs penetrant, & quodammodò solvunt cuncta, quæ illis occurrunt. Hinc nihil aptius ad hunc Morbum excitandum reperiri posse existimo particulis ignis, salis, ac aeris, quorum semi-

mina millies divisa, atque attrita satis accomodata videntur ad superandas quascumque resistentias, æquè ac promovendam quamcumque agitationem, motumque violentum, uno verbo, ad tumultum suscitandum.

Ad hæc symptomata promovenda plurimùm faciunt celer exsolutio ignis in medio fluidorum, unaque salis, ac aeris, vel acidarum particularum copia impuris humoribus respersa, vel retentio secretionis eorum, quæ hæc ipsa symptomata producunt; plurimùm, inquam, faciunt quantitas ignis, copia salis, atque aeris laxitas, quæ tempore circuitus sanguinis, aut diffusionis absorbent, & disperdunt multum aquæ, ac seri perspirabilis valdè utilis ad opus separationis, atque eliminationis; imò ad frænandum, quod adhuc involutum, & implicatum est, vel ad coercendum quod est à vinculis solutum, & nimis mobile; demum plurimum faciunt exteriora cuncta ad res non naturales pertinentia, præsertim si fuerint cum abusu; hæc etenim liquidorum motum modò celeriorem, modòque tardiorem reddunt, vasorum tumescentiam, & plenitudinem inducunt, proindeque texturæ exsolutionem, & laxitatem, vel temperiei depravationem in uno corpore citiùs, quàm in altero pariunt; vel quia mistionis vinculum facilè tollunt, vel quia mixtorum tenuiores substantias absumunt, quæ tunc sine obice diffunduntur, penetrant, & in vaporem abeunt; ideòque citissimè nervos ubique dispersos lædunt, vel quidquid igneum, atque ætereum in corpore delitescit, ita disponunt, ut quæ sibi occur-

runt impedimenta, facilè valeat removere, ex quibus percipitur majus, vel minus momentum causarum, ac vis inæqualis resistentiarum, quæ in suffocatis observantur.

Tria sunt præ cæteris ad hanc Uteri suffocationem, multarumque partium, aut omnium simul celerem concussionem inducendam, agens scilicèt validum nervos universim, ac Uteri præcipuè lædens, resistentia facilè superabilis, & remotio impedimentorum. Inter hæc non immeritò primum sibi vindicat locum valida agendi vis, exsurgens a liquidorum vitio, figura permutata, impetu, ac libertate molecularum, nervos præsertim accolentium, quarum momento aliæ majori, aliæque minori velocitate transvehuntur; quatenus magis, vel minùs luxuriant, igne abundant, vel degeneris sunt indolis; quod sensu ipso percipitur in ligno ignito, cujus componentia in varia resolvuntur effluvia, quorum alia nunc citiùs, & alia nunc tardiùs in hanc, vel illam partem diversimodè tendunt, & evolant; quinimò inæqualibus fruuntur viribus, ac directionibus, uti dilucidè observatur in pice, thure, cera, pinguedine, oleis, sulphure, nitro, bitumine, aliisque purioribus, vel impurioribus liquoribus natura, vel arte paratis; quorum substantiæ, etsi magna scateant igniculorum copia, tamen eò plùs, vel minùs, citiùs, aut tardiùs agunt, quò plùs, vel minùs puriori igne sunt refertæ, ac igniculi ipsi magis, vel minùs implicati. Hinc spirituosa substantia, quæ exsolvitur, & exploditur à mixto liquidorum existentium in Utero Mulierum in ner-

vis,

vis, in fibris, ac funiculis eorundem, vel cujusvis alterius visceris plùs, vel minùs diffunditur, citiùs, aut tardiùs fit tumultuosa, quatenus majori, aut minori patitur copia volatilium particularum ignis, nitrosi salis, ac aeris; nec mirum est, se ea interdum, quibus Mulieres divexantur, tantò velociùs se prodant, quantò magis memorati humores spirituosi superant alias corporis partes virtute, ac simplicitate. Hæc namque diffusio substantiæ succi nervorum constat minimis corpusculis tanta velocitate pollentibus, ut tota eorum unio, & vis citissimè resolvatur; hinc non immeritò fortasse crediderim, dictum succum vividissimum esse florem, sive spiritum lymphæ, ut solidè in opusculis scripsit Bellinus, cujus prima semina, si tam facilè expanduntur, tamque velociter organa pervadunt, movent, fulciunt, contrahunt, & distrahunt, tantaque facilitate evolant, atque in auras abeunt, jure existimanda sunt sulphurea, salina, & aerea, ideoque diversarum figurarum, atque tumultuosæ indolis; quare sive nervus irritetur in Utero, in capite, in visceribus, aut in minima fibra cujuscumque partis, illicò spiritus lymphæ momentum violati contactus veluti persentiens, ac aliorum humorum percussiones quodammodò expavescens, statim adauget vim, in fugam facillimè conjicitur, quàcumque contorquetur, & propriis disjiectis particulis adinstar motus turbinis citissimè permeat, & penetrat nervos, ac musculos, convulsionemque procellosam vel in aliqua parte, vel in tota fabrica excitat. Tandiu igitur hujus humoris vires adaugentur, quam-
diù

diu minima æstuantis lymphæ alternè tumultuantur, & per multas incursiones deflectunt à viis suis, supertantque singulas resistentias, quibus partes partibus concinnè adhærent.

Ad quamcumque ergò corporis partem, irruere potest indiscriminatim jactatus spiritus, qui dum violenter exploditur à suis receptaculis, omnem fluidorum mistionem, & solidorum contactum intervertit; & quemadmodum ex percussione silicis cum chalybe novus ignis educitur, ita in hoc perturbato motu novus ignis, novaque scintillarum expansio in toto corpore exurgit; ac propterea motus omnes, sensationesque violentur, & quandoque etiam deficiant necesse est; nam si commeat sine ulla lege, & æquo citiùs penetrat memoratus spiritus villos, & filamenta cuncta, in quæ irruit; si nullas patitur inducias, nullaque resistentia coercetur, vel in machinulis tumultum infert, vel earum contexturam, arctamque cohæsionem solvit; quinimò si motum adeò tremulum instituit, ut ejus perenni vi rursus atterantur, atque agitentur tam nervorum succi, quàm illi, qui per arterias, & venas fluunt, qui quidem ita jactantur, invicem confunduntur, atque alliduntur, ut post certum tempus reddantur tenuissimi, ideoque in auras priùs abeant furibundæ ignis particulæ, indè aeris, demum attriti salis; quorum minima segmenta jam exsoluta penetrant, erodunt, & elimant partes, quas tangunt, easque veluti perterebrant, & laxant; tunc certè mirum non est, moleculas solidorum destinatas motui, & sensui laxari, ac imbui humori-

bus

bus pravis quasi aquæ erodentis, atque idcircò valdè depravari, ac destitui motu, & sensu, quemadmodum non raro observare occurrit in hoc Morbo.

Verisimile profectò est motibus variis agitari spiritum lymphæ in nervis tam intrà, quàm extra cerebrum existentibus; nam eorundem figuræ diversitas, extensionesque millies implicatæ, & in modum glomeris involutæ plura habent impedimenta, quæ in musculis, in glandulis, visceribus, venis, arteriis, imò in qualibet minima fibra tam Uteri, quàm alterius partis, motuum velocitates, directiones, atque respectus variare, ac propterea spirituum momentum magis, vel minùs diffundere, faciliùs, vel difficiliùs vim exerere, magis, vel minùs resistentias augere vel superare; ac villorum energiam infringere possunt. Negandum tamen non est, quòd tametsi spiritus nervorum certas motuum leges non servet in hoc Morbo, quędam tamen partes organicæ aliquam retinent motuum proportionem, quod etiam si planè enucleari à me non sinat brevitas, cui studeo, facilè tamem intelligi potest ex iis, quæ variis partibus contingunt; harum enim aliæ torquentur à magis, vel minùs impuro lymphæ spiritu turbinatim se movente sine debita directione, & velocitate; aliæ verò ab impulsu ejusdem velociùs, vel tardiùs irruentis, atque permeantis partes, vel ab illius substantia magis, vel minùs procellosa; quod ut lucidiùs demonstretur operæ pretium est concipere spiritum lymphæ adinstar fluidi subtilissimi velociter, & inæqualiter per varios, ac tortuosos ductus mo-

motum suum peragentis, vel in similitudinem venti, cujus impetus variè urget, impellit, & plùs, vel minus enititur adversùs ea, quæ objiciuntur, quatenus variæ sunt circumstantiæ loci, temporis, & mobilium, quorum causa diversi observantur effectus; quarè hìc ventus resistentiam invenit, & reflectitur, hìc novam vim, novamque directionem nanciscitur, alibi verò resistentiam superat, sibique viam parat, & transvolat, nunc jactat, collidit, frangit, ac corpora discindit, demùm æquat solo quæ valde urget. Ita in Mulieribus suffocatione Uteri vexatis tumidus spiritus, irrequietus, & turbulentus in nervis, ac fibris madidis, aut quovis haud insonti humore subactis enititur viribus cunctis impedimenta disjicere, & prætervadere; quarè nunc vires intendit, concutit, pungit, ac veluti perterebrat ea singula, quæ lustat, nunc illa & alia in varium tremorem conjicit, ac inæquales percussiones in singulis partibus incutit.

Quomodocumque igitur infestentur nervorum funiculi desinentes in cerebri finitimam, aut satis remotam partem, repentè diffundatur oportet concussio succi nervorum per universam substantiam, eorumque dissitam protensionem. Nam ea est nervorum natura, ut uno nervi termino irritato fiat refluxus memorati liquidi versùs partem oppositam, ideoque etiam percipiatur molesta sensatio in altero, ut accidit in levi narium, aurisque punctura, cujus vi adeò tenduntur, atque jactantur nervi capitis, imò thoracis, & abdominis, ut sternutationes, pandiculationes, & tusses vehementes, vel tremores, ac con-

cus-

cussiones diversæ excitentur. Si ergò stimulis torquentur nervi Uteri, illicò agitatur contentus liquor, & urget fistulas spongiosas, motum procellosum variis musculis impertit, ac idcircò dolorem; in ventriculo nauseam, aliquandò vomitum, indè inducit diarrhæam, in cute asperitatem, & rigorem, in artubus superioribus, atque inferioribus tremorem, in pectore tensionem, angustiam, & tusses; in renibus pondus, atque calorem, ac proindè nunc celerem, nunc tardum pellucidæ urinæ transitum; in maxillis molestam, dolidamque dentium collisionem, uno verbo, in singulis musculis, ac villis contractilibus tumorem flatulentum, convulsionem, seu, quod in idem recidit, motus inordinatos progignit.

Diversi quidem sunt velocitatis gradus, quia diversa est liquidorum indoles, figura, & quantitas, quibus Mulieres inficiuntur juxta diversitatem habitudinis, ætatis, & temperiei; ex quo fit, ut minimæ partes fabricæ Uteri, atque totius corporis non solùm contactus debitos, nexusque amittant, verùm etiam diuturnis, pluriesque repetitis divulsionibus consuetas resistentias deperdant. Insuper hujusmodi inæquales, & furibundi motus, tam variis, adeòque noxiis stimulis promoventur, ac à tam diversis fibris, & villis exeruntur; ut spiritus summo cum discrimine prosiliant è suis conceptaculis, & cursitent turbinatim per diversos majores, & minores vasorum ambitus, quorum majus, vel minus spatium retardat vim directionis quamplurimis vasculis, in aliis eam conservat, vel accelerat; ac proindè major, quàm par est, fit explosio memorati succi, qui id-

circo ea , qua decet ratione , non derivatur in fibras, nec illas debita movet concinnitate. Dignoscitur id vel sensu ipso in tormentis muralibus, variisque sclopetis angustioribus , vel latioribus ; imò in diverso pulvere pyrio majori, vel minori nitri, ac sulphuris quantitate referto, ac propterea magis, vel minùs agente, se seque diffundente tùm intrà, tum extra memorata tormenta bellica.

Nec dubitandum, quin in nervis Uteri, capitis, aut cujuscumque alterius partis spiritus sit concitaturus varios vortices, sive vertiginis motus ; postquàm ob ejus prava semina plures, validasque dissolutiones induxit tam in nervis, quàm in villis contractilibus, cum motus verticosus exoriatur ut plurimum ab oppositis directionibus, à diversa vi, ac tenuitate materiæ mobilis in loco inæquali laxo, ac resistentiis carente, & quamplurimis impedimentis obnoxio. Si ergò spiritus lymphæ constat seminibus jam indicatis, nimirum sulphure, sale, & aere, nemo non videt, aerem in summa raritate constitutum, ac vi elastica præditum modò unam, modò alteram posse directionem consequi juxta impulsuum diversitatem, ideoque varios motus edere ; similiter sulphurem, dum ignescit, & diffunditur, posse circumduci, & directiones oppositas repentè acquirere ; salem denique modò huc modò illuc fortuitò titillare, ac idcircò violentam vim percussionis, & velocitatem inæquali directioni conjunctam peragere.

Pro hujus rei clariori intelligentia, tu, qui hæc meditaris, revoca in mentem, quæ contingunt in

flui-

flumine, quæ nempè in eo fiunt ex riparum curvitate, ex varia angulorum diſpoſitione, ex alvei inæqualitate, ex occurſibuſque diverſis; & ſtatim percipies aquarum vortices, fluctus, ebullitiones, celeriores motus, ac tardiores, directiones, impetus, velocitates, ſpumas, atque ſtrepitus ab illis oriri. In memoriam item revoca quicquid accidit aquæ, cum intrà ipſam injicitur lapillus, aut quid ſimile, videbis enim ſtatim univerſam illius ſuperficiem diſponi in varios circulos concentricos, qui ex ordine promoventur; ſed ſi plures lapilli eodem, vel diverſo tempore in aquam decidant, non ampliùs diſtinctos cernimus circulos inter ſe concentricos, ſed quot ſunt decidentes lapilli, tot ſint oportet circuli, qui variè laxantur, ac proindè invicem occurrunt, opponuntur, mutuòque vaſtantur. Hac eadem ferè cogitandi methodo, ſpirituoſæ lymphæ, nervos accolentes, ſuis exillimis, atque anguloſis ſalis particulis ſumma acrimonia refertis, cæteriſque minimis ſe ſe quaquaversùm diffundentibus, inæquales protenſiones nervorum, potiſſimùm in Utero ſerpentes, ſenſu moleſto ſolicitant; & tam multos, varioſque irritationis effectus producunt, ut minimi earum cuneoli, ſuperadditis contractionibus, ſe ſe veluti allidant, humoreſque impellat in circuitum procelloſum tanta vi, quanta eſt neceſſaria perturbationi motus, & quandòque etiam everſioni corporis univerſi.

Quarè ſi reſiſtentiæ in unoquoque ſolido, ac multò magis in fluido ſunt facilè ſuperabiles, cum memoratus lymphæ ſpiritus conſtet principiis, ut

exposui, volatilibus, quorum actuosæ moleculæ, & præsertim valdè lacessitæ minimum habent nexum, & contactum, ut colligitur ex eorum penetrandi vi, elaterio, indole, motu, & figura, quorum causa, adinstar fulminis discindentis cuncta, quæ tangit corpora, prætervadunt, & disturbant in nervis, in Utero, atque in tota fabrica quicquid occurrit tanta velocitate, quanta est vis spirituum, eorundemque explosionis energia. Hinc quomodocumque soluto mistorum fœdere, mirum non est, ita violari, ac detorqueri directiones, vires, atque velocitates agitati spiritus, ut illico auferantur occursus, ac superentur impedimenta; nam hoc est tantò facilius factu, quantò magis sunt actuosæ, & turbulentæ particulæ luxuriantis spiritus lymphæ, quæ ubi ictum, nixumque suum exercent, illic excitent necesse est concussiones, tremores, atque dissolutiones, ex quibus fit, ut villi contractiles, nervi, Uterus, imò tota fabrica vacillet, ut ex Antecedentibus infra examinandis patebit.

Perspiratio impedita. Non est dubitandum quin partes, atque humores Mulierum scateant interdum aliquibus seminibus sævissimum hunc Morbum ingenerantibus, quorum particulæ defectu perspirationis in corporibus præcipuè inexercitatis nunc adauctæ, nunc ubique circumspersæ, involutæ, & implicatæ aliquandò torpescant, à debitisque recedant conditionibus; imò facilè in una, aut altera Uteri parte, in glandulis, fibrarum spongiolis, ac in nervorum propaginibus involvi, congerique possunt, ac idcircò dimittere naturalem vim motus. Quarè si feriantes, diuque otiosæ

sæ

ſæ maneant fibræ, quæ priùs ſuis contractionibus, & diſtractionibus conſuetis, ac ſuperadditis plùs, vel minùs urgebant, attenuabant ejiciebantque ſupervacanea, ac idcircò nonnulla effrænata corpuſcula ignis, ſalis volatilis, aeriſque nimis rarefacti nunc tranſpiratione, nunc madore, fuliginibus, atque aliis fumoſis effluviis, quorum exitu corpora benevalebant; ſi, inquam, villi, & fibrarum filamenta otio laxantur, & humorum imbuuntur ſaburra, cujus cauſa paulatim retardantur Menſes, illiſque intermiſcentur, implicantur, & contaminantur activa ſemina, quæ tunc veluti ſopita, & inquinata videntur invicem ſiſtere; ſi demum poſt datum tempus, quacumque vi etiam leviſſima, quovis motu, & impulſu ſe ſe in libertatem vindicent memoratæ particulæ, poſſunt certè mutuò agere, cunctoſque ſolicitare humores, ac partes, & ſe ſe quodammodò ſuccendere, & explodi in medio tot impedimentorum adinſtar fulminis in medio nubis, ideoque vel ſuperare, vel intervertere vires, violare directiones, ac proinde Uteri ſuffocationem producere.

Animi paſſiones.

Item animi angor incitat facillimè minima corpuſcula ſucci nervorum, eaque non parùm concitat, & quandòque etiam diſſipat; hinc ſequitur nonnulla eorum ſemina tam levitate propria, quàm vi ſuperaddita ſe ſe elevare, & rapidiſſimè in quamcumque partem indiſcriminatim irruere; igniculos videlicet dicti ſucci penè ſuccenſos, & ſales volatiles valde jactatos vibrari, diffundi, & diſperdi, ac propterea circumfuſum aerem adeò rareſcere, ut tota gravitas illi quodammodo tollatur: quarè Mulieres in-

interdum angore gravatæ triplici hoc principiorum vitio adeò laceſſiri, variè laxari, atque tumeſcere ſolent, ut vaſcula etiam exillima ſanguinis quaquaverſum mirè protenſa, & præſertim quæ in in cornea oculi tunica irretiuntur, tumeant adinſtar illarum veſicularum, quas hydatides Medentes appellant; quod quidem ſuboriri minimè creditur ab aliqua plenitudine, ſed à tumultuoſo ſpiritu plùs æquo in minimis tubulorum fibris luxuriante, fluidaque rarefaciente, ideoque aerem interſperſum urgente versùs latera vaſculorum; quò major ergo, aut minor fuerit animi vexatio, eò major, aut minor ſit oportet commotio, velocitas, ac interturbatio ſpiritus lymphæ, qui quantò magis, vel minùs diffunditur, diſſolvitque contexturam machinularum aſtruentium fibras, & vaſa, tantò citiùs, vel tardiùs penetrat, depravat, præpedit, ac pervertit vires, exercitationeſque corporis ægrotantium: hinc ſepè obſervavi in nonnullis inchoare Morbum hunc cum globi aſcedentis moleſtia, cum hypochondriorum tenſionibus, rugitu, eructatione, & vomitu: in aliis adverti momento citiùs muſculos gutturis ſursum ita convelli, atque tumeſcere, ut deglutitio, & anhelitus præpediantur: in aliis novi eclipſim facultatum animalium, ac veluti cadaveroſum aſpectum, deinde poſt aliquod intervallum ſpaſmos in variis membris excitari, viſcera etiam inflari, & quandòque immaniter jactari, atque concuti præcordia.

Irritamenta gulæ. Aliquandò autem Mulieres nimiis, variiſque obſoniis, & gulæ oblectamentis indulgentes, ac ſæva labe torquentur, cum ædulia præter quantitatem,

tem nimis ingeſtam, ideoque noxiam, ſcateant abundè ignis, ſalis, & aeris, aliiſque diverſæ indolis particulis, quæ debita copia in maſſa ſanguinis congeſtæ facilè tumultum ſuſcitant, premunt, & urgent vaſa, in quæ derivantur; ac propterea nervos circumundique irritant, ex quo fit, ut ſpirituoſæ lymphæ proprio elaterio cogantur humorum circuitum magis, magisque propulſare, contractiones, ac fibrarum diſtractiones conſuetas repellere, alioſque indebitos motus moliri; memoratæ namque æduliorum moleculæ citiſſimè partim aeris, partim ignis vim nanciſcuntur, ideoque laxant vaſa, disjiciunt, & rarefaciunt fluida contenta, aeremque intermixtum; imò quia variè ſemper in diverſis habitudinibus vires exercent, diverſimodè propterea agunt, vel quia tentant permeare, nec poſſunt, vel quia villorum inanitates aliquantulùm ſolvunt, violant, & turbinatim movent, hinc igniculi cibariis interſperſi invicem pugnant in loculis organorum, atque inanitatibus fluidorum, vel facilè cedunt, tum quia fiunt magis, vel minùs impuri, & majorem, aut minorem vim amittunt, majorem, aut minorem reſiſtentiam inveniunt, eamque plùs, vel minùs ſuperant; cum etiam quia propter inæqualem agitationem à dictis ſeminibus promanantem ſingula minima machinularum variis oſcillationibus oſcillant, ac idcircò violant cuncta naturæ miniſteria.

Nemo eſt, qui non noverit, dummodò Medicorum monumenta pervoluerit, humorum plenitudinem in hoc Morbo laxare vaſorum fibras, ea- *Plenitudo humorum.*

rum-

rumque cuneolos alternè fœderatos ita sejungere, ac illorum inanitates infarcire adinstar conditi corii, vel chartæ madidæ, ut valde turgescant; ideoque nervos premant, inficiantque contentum liquidum, cujus proindè substantia, ea, qua priùs ratione, nec fluit, nec refluit, nec ritè villos lustrat, nec eos aptè movet, quinimò tumultu quodam jactat, & molestè afficit Uterum, nervos, ac fabricam universam.

Secretionum carentia. Plenitudinem quandoque sequitur carentia secretionum, quæ in Mulieribus tam per Uterum, quàm per alia consueta loca fieri solent; constat enim Uterus quemadmodum alia organa vasculis partim perviis, partim imperviis, imò quamplurimis machinis mutuò fœderatis, consentientibus, vicissimque agentibus; quæ si stipentur prava liquidorum congerie, si alluantur, & quadam veluti humorum lacuna undique obsideantur, nulla est illis integra resistentia, nulla integra facultas, ac operatio; fibræ siquidem evadunt languidæ, laxæ, ac veluti spongiæ, contaminantur etenim, vel tenduntur, quasi funes madidi; vel pulsantur, aut quovis impuro humore subactæ variis quodammodò stimulorum aculeis punguntur, oscillant, atque tremore convulsivo corripiuntur, cujus violentia, sæva illa symptomata contingant oportet, quæ prædictis partium laxitatibus, & inquinamentis respondent.

Vigilia. Vigilia improba si in Mulieribus diu perennet, excitet oportet incompositos motus succi nervorum, tam per hiatus eorumdem nervorum rapidè ex-

excurrentis, quàm ſua diffuſione, ac præternaturali inſtillatione villos irritantis, ideoque jugiter ſuſcitantis tenſiones, laxitates, & concuſſiones in fibris, ac nervis; præeunte itaque quacumque ſtimulorum vi, ac humorum labe præpediente conſuetam ſecretionem, vel excitata quacumque animi cura, corporiſve indebita exercitatione nimiam inducente vigiliam, interturbantur motus univerſi, tunc enim ſpirituum tumultus fit, qui naturæ ordinem invertit.

His præhabitis, ut quiſque intelligat internas cauſas conjunctorum Symptomatum hujus Morbi, obſervet oportet violentum motum nautici veli tempore turbinis, & procelloſi aeris; cujus impetu velum ipſum modò tumet, modò implicatur, modò explicatur, tenditur, flectitur, & quandoque etiam diſcinditur, imò ſi nimia ventorum vi concutiatur, frangit arborem, cui inhæret; ita Uteri membranis, nervis, muſculis, fibris, ac villis contractilibus accidere aliquando poſſe, facilè erit reputare; etſi enim memoratæ partes, cum debito ſpiritu muniuntur, aptè contrahantur, diſtrahantur, & circumprimantur, ac ſanguinis copiam, qua in modum veluti ſpongiæ erant imbutæ, naturaliter urgeant; eædem tamen ſi nimio conatu ſolicitentur, premanturque ab impetu ſucci nervorum ſe ſe quaquàverſum diffundentis, illicò totum corpus violatur. *Conjuncta ſymptomata.*

Virium etenim laſſitudo exoritur à diſſono motu ſpirituum languidè, & ineptè fibras illuſtrantium, ut res obverſatur oculis in candelæ, aut lycni *Laſſitudo virium.*

flam-

flammula vento jactata, quæ etsi multum ceræ, vel olei absumat, nihilominùs parùm diffundit luminis; quarè licèt spiritus naturales stimulis concitentur, & tremore præternaturali afficiantur, atque evanescant, tamen parum virtutis, ac roboris impertiunt villis, & fibris contractilibus; quinimò si materies ceræ, ac olei fuerit sordibus imbuta, impurum lumen projiciat oportet, vel extinguatur: quod idem prorsùs declarant fluida Mulierum à retentis Menstruis, vel alia labe inquinata; ipsorum enim caussa tum contractionum, tum cohæsionum momenta languescunt, & omnis vis quodammodò perit, tam ob filamentorum, ac tiliarum solutionem, quàm ob inopiam, atque impuritatem particularum ignis; quæ quò faciliùs contaminantur, vel latibulis variis coercentur, aut ramosis moleculis involvuntur, eò difficiliùs exsolvuntur, ac propterea minùs, quàm par est, fibras, atque villos muniunt: idipsum occurrit in hac Morborum concitatione, non secùs ac si Mulieres existerent in navi, marique procelloso concuterentur, nam sedata quoque agitatione videntur nihilominùs Mulieres destitutæ omni vi, atque adeò vacillare, ac revolvi, ut consistere nequeant.

Color flammeus. Flammeo interdùm colore irradiantur tam Mulierum genæ, quàm universum cutis stratum, dum liquida vehementer moventur, jactantur, & forsan plùs æquo congeruntur in Uteri vasculis, quæ oscillationibus, quibus moventur, premunt, & urgent oleosas, aliasque ignis particulas fluidis circumfusas, simulque cæteras pulsant versùs latera

mem-

membranarum; ac veluti succesſiva explosione vegetiorem contactum per quemlibet ductum exerunt, viciſſim cientur, & confricantur, ideoque irritant, & tumidas quandoque reddunt machinulas vasorum quaquaverſum per cutem excurrentium; huc accedit ſpiritus ſæpè nimis fervidus, ac ſolutus, cujus tenuiſſimæ particulæ vehementi fluxu, & refluxu, quo pollent, citiſſimè inſtillantur; imò momento citiùs diffunduntur adinſtar fulminis in quamlibet fibrarum inanitatem, eamque in modum veſiculæ inflant, ac veluti tot cuneolis ſolidas machinulas elevant; hinc humores concitati irrunt in loculos interjectos, ibique irretiuntur, atque conſiſtunt, ac propterea ſolidæ moleculæ adinſtar ſpongiæ ſaturæ dictis liquidis, atque irritatæ flammeum colorem præſeferunt.

Verùm ſi ſpiritus lymphæ fiat nimis dilutus, & torpeat, vel ſemina illius adeò deformentur, & ſubvertantur, ut nativam diffuſionis vim haud exerceant, minimèque fulciant villos, & fibras vaſorum, nec eas aptè contrahant, nec diſtrahant; ideoque nec ita premant humores, ut fluant, & naturaliter foveant partes, tunc vel ſurripiuntur, vel implicantur adhuc ſuperſtites, impuræ, evanidæ, & languidæ ignis particulæ, quæ veluti obnubilatæ, reſtinctæ, aut vinculis coercitæ tandiu ſemiſopitæ manent; quandiu ſolvantur, ac redigantur ad ſuam puritatem, nativamque virtutem, aut quouſque fibræ oſcillationibus ſuis, fluidaque naturalibus miſtionibus reſtituantur.

Vividi coloris privatio.

His præmiſſis non inveriſimile eſt putare ſpiritum

Cur spiritus lymphæ varios molitur effectus.

tum lymphæ nunc operari ut ignem, nunc ut glaciem vi tenuissimarum particularum contrariæ indolis, & liquidorum, quibus commiscetur adinstar salis nitri nunc errumpentis in flammam, nunc augentis glaciei, ac nivis activitatem. Si igitur solida, & fluida variè commiscentur, inquinantur, & permutant reciprocationes, superficies, atque cohæsiones, non poterunt certè minima ignis adeò commeare fibras, eas penetrare, ac lustrare villos cutis, ut hæc benè colorata evadat.

Pallor, ac rubor variè recurrentes.

Pluries autem, & per intervalla pallor, ac rubor faciei invalescunt, adinstar ferri modò igniti, modò extincti, cujus substantia toties amittit rubiginem, quoties incandescit, toties eam resumit, quoties refrigescit; ita namque rubor, & pallor, vi cujuscumque causæ tum internæ, cùm externæ, proximæ, vel remotæ, sive ab Utero, ab aliquo viscere, atque instrumento, sive veriùs à fluidorum læsione emergant, hanc cutis varietatem exhibent; excitatur igitur tempore ruboris aliquod igniculorum effluvium, quod statim multiplicat vim suam in omni vasculo sanguinis, in omni nervo, glandula, &c., & incurrens in raram, densamque partium contexturam eam penetrat, humoresque facilè exsolubiles concitat, ac colorem flammeum corpori impertitur. Clariùs res ita declarabitur, si quis cogitet succum nervorum plurimo scatere sulphure, eoque admodùm exsolubili, parique copia salem, & aerem in nervis luxuriare; quorum particulæ violenter fluentes, jugiterque refluentes valdè atteruntur, & diffunduntur; ideoque nitent eo ferè

pacto

pacto, quo ramenta sulphuris inter silicem, & chalybem intercepta in scintillas erumpunt. Verùm enim verò si cessent attritiones memoratæ, si irretiantur semina dicti spiritus lymphæ, vel priventur substantia facilè accendibili, cessent oportet exsolutiones memoratæ, ideoque cutis coruscationes; quarè si in fumum abit spirituosa materies, totum corpus squallido pallore inficitur. Toties igitur pallescunt Mulieres hysterica labe vexatæ, quoties ea non sequitur particularum comminutio, quæ exsolvat, atque succendat sulphuris, nitrique particulas; ac propterea aerem laxet, atque perlustret, & conjunctim vividiorem materiam impingat adinstar ignei effluvii in universa solida, quæ si hisce priventur, vel laxantur, aut convelluntur, ac veluti cadaverico colore contaminantur.

Lex autem naturæ nullum in hoc morbo certum locum habet, dum etiam ventriculus jugi spirituum tumultu, variè concussus in quolibet villo, & fibra plùs æquo laxatur, aut convellitur; tunc enim succi, qui in ejus cavitatem derivantur, nimis salsi, & acidi fiunt, & illicò singula stamina irritant, eorum contexturam solvunt, ac propemodum erodunt; quæ licèt per aliquod tempus suum obeat munus, verè tamen in longa Morbi duratione non viget inculpata, cum non eadem semper sit spirituum copia, & momentum; hinc diversus sit oportet contactus machinularum solidarum, atque mistio fluidorum, ex quorum dissona combinatione, & motu adeò vellicantur nervi protensi per ventriculi membranas, aliasque partes cohærentes, ut facilè rece- *Ventriculi molestia.*

dant

dant à proprio termino; ac idcircò singulæ tiliæ jam laxæ, & villi vasculorum, atque glandularum minimarum ineptis humoribus imbibiti tendantur, & convellantur; ac propterea humores magis, magisque depravati potiùs perturbent, & nauseam pariant, quàm famem excitent.

Murmur ventris. Frequens est murmur ventris in Hysterica passione, cum vi interturbati, ac procellosi spiritus lymphæ, non solùm vitientur totius frabricæ contractiones, & distractiones, verùm etiam intervertantur singuli motus superadditi, qui sunt in causa, ut filamenta vasorum repentium per Hypochondria faciliùs exagitentur, tendantur, eorumque tiliæ, ac machinulæ mutent connisum, vim, & resistentiam; & quandòque etiam sub tot motuum prælo cogantur depromere, ac consumere multum necessariæ lymphæ, ideoque adinstar corii igni admoti exsiccentur. Qua de re nec in ventriculo, nec in intestinis tenuibus tunc integræ fiunt attritiones eduliorum, nec chyli elaborationes opportunæ; imò excitatur, & augetur eorum lucta, & quandòque cessat, iterumque novus fit tumultus inter liquida glandularum oris, œsophagi, ventriculi, epatis, paucreatis, & chyli malè elaborati; quorum omnium particulæ nimis luxuriantes, mutuòque sibi occurrentes in cavitatem tenujum, atque crassorum intestinorum inducunt illam agitationem, quæ potis est abdomen tumidum reddere, & alvui proluviem suscitare, atque propemodùm resolvere particulas sulphureas, & salinas in sua principia, quæ dispersione propriæ substantiæ, & explosione aeris circumfu-

fusi vicissitudinem, & mistionem fluidorum exsolvunt; nam adeò alternè jactantur, concutiuntur, æstuant, spumant, & fumant, ut aerem circumfusum impellant, & insinuent in spatium Hypochondriorum instar fumosi effluvii, cujus vi, quasi hypocausti vaporario, rarescunt contexturæ intestinorum, & aer vaporosus, qui successivè solvitur, & successivè permeat membranas variis viribus, ac motibus, quibus universa vasa, & villi cientur, plùs, vel minùs in similitudinem venti urgetur, & reflectitur, percutit latera totius cavitatis, premit, tendit, & plùs, vel minùs agitat corpus; ut observare est in cane benè nutrito, ac recentèr exenterato, cujus presso jecore, ac pancreate, bilis, & succus pancreaticus derivantur in duodenum, simul commiscentur, ebulliunt, tumescunt, & non rarò in tenuissimos vapores abeunt.

Ex hac flatuum congerie, vi, atque Hypochondriorum tumescentia adeò interdùm circumprimitur jecur, ut ejus glandulæ præpediantur, ne bilis separetur: sive igitur vitiosæ evadunt machinulæ glandularum, sive liquida plùs æquo contaminantur & congeruntur, bilis amarulentæ particulæ nec separantur, nec diametris vasculorum respondent, ideoque sanguine mistæ alluunt corpus universum, illudque icterico colore deformant. *Color ictoricus.*

Omnibus notum est, ab eodem spiritu nimis mobili spirandi difficultatem, œsophagi angustiam, ac deglutiendi imbecillitatem progigni, cum modò prædictarum partium nervi, ac fibræ, modò plexus nervorum jugularium, atque intercostalium, modò *Diversarum partium læsio.*

pro-

protenſiones occupantes fauces, modò demum nervi octavi paris, ac recurrentes infarciantur, atque tendantur, imo univerſi muſculi; adeòque quaſi tot funes madidi, ac tenſi, convellant, vel diſtrahant totam machinam pectoris, atque tracheolas pulmonis: neque dubitandum eſt, quin aſſignata cauſa producere etiam poſſit palpitationem cordis, ejuſque tardas, ac imminutas vibrationes, cum ad has peragendas neceſſarius ſit influxus ſpirituum per nervum cardiacum, atque ita neceſſarius, ut pro varia ratione, qua ille mutatur, mutetur, & pulſus. Videmus enim hoc ira, labore, dolore, aut qualibet alia cauſa, quæ efficit, ut ſpiritus frequentiùs ad cor fluant, ideoque velociori motu cor ipſum urgeant: Intelligimus ulteriùs ſpiritus modò frequentiores, modò tardiores vibrationes cordis elicere, prout aucto, vel imminuto eorundem momento, vel aliundè concepto impetu, vel retardato vehementiùs, aut debiliùs inſtillantur in fibras, ac villos cordis. Demum putamus tremorem cùm cordis, tum corporis univerſi irritationem, atque torporem emanare poſſe à memorato lymphæ ſpiritu; qui nunc perperam commiſtus, ideoque impurus, involutus, & devinctus torpet, nunc autem in libertatem vindicatus turbinatim cietur; quarè cuncti nervorum funiculi quàcumque repentes inordinatè oſcillant, ac proindè ſpiritus vim percuſſionis plùs, vel minùs perturbatam progignunt, prout magis, vel minùs fiunt turbulenti, aut organa majori, minoreque unione, ac reſiſtentia ditantur.

Delirium, uſus rationis impotentia comitatur hunc

hunc Morbum, sæpe exorientem à prava indole, & copia redundantis sanginis, vel prementis, aut irritantis glandulas corticis, membranas cerebri, atque nervorum inchoamenta; seu, quod in idem recidit, agitantis, diversisque stimulis exercentis in pluribus circumferentiis spiritus, qui incurrentibus corporibus in medullam, aut spongiosam substantiam nervorum, ac particulis effrenis lymphæ nervos alluentis commisti, multaque acredine referti, amicè simul non conspirant; sed recedentes à debita directione per varios circulos variè distorquentur, ac proptereà tam diversa agitatione, tumultuosoque contactu multifariam nervos pulsant, & inordinatis undis adeò se se in fugam conjiciunt, ac irruunt in fibras, in vasorumque latera, ut eorum filamenta modò nimis trudantur, modò nimis laxentur, ac idcircò rationis species commovent, nullam inter se connexionem debitam habentes, in quo delirium consistit. *Delirium.*

Ingruit vertigo, ita ut res objectæ Mulieribus Uteri spasmo laborantibus circumagi videantur, cum privantur evacuationibus consuetis, earumque materies, aut quid simile sanguini miscetur; tunc enim in naturali amplitudine vasorum contineri debet & naturalis quantitas liquidorum, & addita etiam materies evacuationum; quare fluidorum copia fit debito major, undè arteriæ ampliantur, intumescunt, ac propterea cerebrum constringunt, multumque inquinati sanguinis derivant in glandulas corticis; ex quo fit, ut elutrietur in nervos non parum stimulantis lymphæ, quæ ita supra resistentiam aliquandò pre- *Vertigo*

mit tam nervorum principia, quàm eorundem protensiones, ut hæ quodammodò evolvantur, laxentur, ac vix se se valeant substinere: vasa igitur sanguinis ex subito infarctu, & conatu circumpressorio sivè à visceribus, ab Utero, sive ab hypochondriorum tumescentia progenito, repetè dissociantur, & in tremorem ducunt nervos, ac retinam, momentoque citiùs concitant succum nervorum, & speciei trepidationem ferunt; ideoque fit subitus virium lapsus ex confusa nimirum, atque inepta distributione spirituum in musculos substinentes totam fabricam.

Visionis igitur interceptio in Uteri convulsionibus fit ab infarctu arteriarum prementium nervos, *Cæcitas.* quorum constructio exturbari potest ab ipsis arteriis nimio sanguine scatentibus, atque ab aliis liquidis plùs æquo fluentibus, ac refluentibus; ideoque si tanta fuerit pressio, ut penitus nervos opticos occludat, nulli spiritus influent in oculos, ac propterea nulla visio, cujus privatio tandiu durabit, quandiù materies alluens, infarciens, nervosque premens præterfluat, & quasi liberet eos ab obsidione liquidorum, quorum interturbatio, ita membranas oculorum, & liquida contenta, atque interjecta fædat, ut hæc fiant turbida adinstar atquæ lutulentæ, & illæ deformentur in modum laminæ laternæ fumo, ac flamma impura obnubilatæ.

Surditas. Verùm si memorata symptomata excitentur per materiæ copiosioris influxum, non solùm fluet per oculorum arterias, sed per omnes etiam, quæ ad aures internas deferuntur; undè prout magis, vel minùs tumidæ, atque humoribus imbibitæ evadent, plùs, vel minùs membranas, nervos, & ossicula di-

movebunt, eaque in tremorem aliquem agent, qui modò hunc, modo illum ſonum repreſentabit pro diverſitate impulſuum, & preſſionum, quarum ope aliis aliquandò tinniet, aliquibus ſibillabit, vel pluviam decidentem imitabitur. Quòd ſi prædicta materies modum exceſſerit, adeòque nimis premat membranas internas, aut nervos audjtorios occludat, ſurditatem gignet.

Doloribus quandòque ſæviſſimis torquentur nonnullæ Mulieres hoc Morbo affectæ, cum pars aliqua trahjicit in ſanguinem humores pravæ indolis, & præſertim in Utero redundantes, qui perducti ad cerebrum, aut meninges, ad pericranium, vel articulorum perioſtia, ſeu, quod idem eſt, ad partes ſcilicèt minimæ preſſionis, præterfluere nequeunt ex vaſculis, in quibus ſubſiſtunt; ſed ibi aculeis, & ſpiculis, quibus ſcatent, illum pariunt dolorem, qui à dictis humoribus neceſſariò pendere debet, nunc mollem cerebri ſubſtantiam urgendo, nunc liberiori motu divellendo, pungendo, aut concutiendo nervos, eorumque expanſiones: major ergò, aut minor eſt illis partibus vis doloris, quibus ſunt majores, aut minores nervi directè ad cerebrum tendentes, ad ventriculum, viſcera, &c. & præſertim ſi ex illis dimanent humores valdè mobiles, cujuſmodi ſunt, qui ab Utero profluunt, quorum acredo illum dolorem ſuſcitat, qui reſpondere debet rationi plurium nervorum, ac membranarum cujuſcumque partis. *Dolores varii.*

Urinæ item ſuppreſſio ſæpiſſimè in Hyſtericis pendet à convulſione ſphincteris veſicæ, ac cervicis, *Urinæ ſuppreſſio.*

effluxum prohibentis, quod præcipuè fit, si adsit dolor capitis, nervos valdè comprimens, ac memoratum musculum in majorem contractionem urgens; nam spiritus vagi tunc se seque turbulenter moventes fibras convellunt, & tendunt, ideoque sphincterem abreviant, & vesicæ os claudunt; at si plùs æquo se se spiritus exerceant, plùs æquo etiam moneantur partes, & fluvant oportet humores, quorum omnium nimia exercitatio inducit laxitatem in fibris, perturbatam confusionem in liquidis, urinæque copiosam secretionem; quandòquidem laxitas molecularum solidarum villos, & fibras astruentium est remotio cohæsionis cujuscumque partis venientis in contactum certum tam in glaudulis renum, quàm in fibris musculi vesicæ; quarè cribra dictarum glandularum magis pervia evadunt, & fibræ sphincteris tum copia humorum, cùm eorundem perturbato motu, atque acrimonia stimulantur, distrahunturque, ex quo fit, ut nimia urinæ copia eliminetur.

Copiosa Urina climinatio.

Post validos itaque, & frequentes fluxus, ac effluxus succi nervorum augentur vires percussionis, & machinulæ fibrarum vivido spiritu imbutæ adinstar vectis eriguntur, & tument; imò ægrotantium Mulierum Abdomen premitur, atque urgetur extrorsum, nec ampliùs restitui, nec contrahi potest introrsùm; sed eò magis tumescunt singulæ fibrarum minimæ moleculæ, quò magis in quaslibet earundem inanitates spiritus fervidus, & turbulentus sua inordinata vi insinuatur, diffunditur, attollitur in bullas aere plenas, ideoque omnia permeat, bullas disrumpit, & in modum fulminis earum semina disiicit;

Abdominis tumorosa convulsio.

qui-

quibus disruptis cum impetu, ætherea illa, & subtilis materia exit, & nervos quaquaversum extollit, cunctosque villos contractiles, ac fibras tendit, concutit, & convellit nunc tremore, nunc contractione, non secus ac in malo super prunas cocto; materia enim illa ætherea igne soluta corticem exteriorem dilatat, tendit, oscillareque facit, quarè sive frequentes isti motus sint universales, sive in una tantùm corporis parte, subtilissimus lymphæ spiritus magno impetu repentè ejaculatur eo fere modo, quo à granis salis super ardentes prunas injectis exit ignis cum crepitu, & violentia; sive ut ostendit sal nitrum cum sulphure mistum, cujus accensæ particulæ tanto impetu moventur, ut impedimenta circumposita etiam fortissima diruant, atque convellant. Hæc eadem materies existens in nervis, & arteriis irregulariter irruit in musculos varios, & parit diversas confricationes, atque vires percussionis; quæ hic convulsiones, illic tremores, alibi tensiones, uno verbo innumeros motus præternaturales in qualibet fibra gignunt; nam in quocumque nervorum surculo, ac fibrarum loculo existunt infinitæ propemodum particulæ activissimi succi, quæ varias directiones nanciscuntur tum in diversis nervorum circulis, quàm in variis eorundem protensionibus quacumque serpentibus; quarè in omni ferè puncto nervorum momento citiùs excitantur innumeri conatus cum diversis velocitatis gradibus, qui itidem, penè dixerim, innumeros locales motus, tremores, divulsiones, & oscillationes exercere possunt: tot igitur erunt vires, conatus, & directiones, quot erunt particulæ acti-

Spiritus animalis varias convulsiones gignit.

vis-

vissimorum liquidorum tum in villis, cùm in nervis universi corporis.

Quoniam verò in hoc Morbo obstructis venis Uteri prohibetur aliquantulùm influxus sanguinis intra ramos per faciem excurrentes, subtilior tamen illius portio fluit semper, & confricat, & fovet, ac veluti irritat cutem, illique ruborem communicat; verùm quià vasa per oculos repentia sunt omnium tenuissima, facilè crassiusculis liquidorum moleculis diversarum superficierum infarciuntur, tument, inflammantur, ideoque color in tota ferè structura oculorum fit flammeus.

Rubor oculorum, & faciei.

Non rarò autem liquidorum vitio effervescit spiritus, & fit nimis tumultuosus, ideoque ducit, & urget citissimè per vasa corporis quicquid est tenue, & maxime mobile; imò ab æstuosis particulis acrimonia affectis irritantur, ac ita pulsantur, & urgentur partes, & humores, ut lymphæ præsertim separentur in glandulis oculorum, & magna copia per oscilla secretoria secernantur, atque eliminentur.

Cur humores, & lacrymæ eliminentur.

Garrulæ exindè si fiant nimis Mulieres, creditur naturali majorem copiam spirituum pravæ indolis, & summæ mobilitatis per universos nervos duci, & præsertim per illos, qui ad organa vocis feruntur; quò major enim deducitur quantitas memorati spiritus ad musculos, eò magis illos agere potest in contractionem, & propter facilem tiliarum, ac villorum flexionem, agilemque particularum cohæsionem cedunt illicò instillationi spiritus lymphæ, & contrahuntur veluti folia vento exposita; quarè partes omnes asperæ arteriæ, musculi cartilaginum ejus, &

Garrulitas

& alii quoque inſervientes linguæ, & mandibulæ inferiori æquè contrahuntur, & diſtrahuntur; imò hiatus, & canales quilibet per circulares, ac rectos muſculos extenſi non ſecluduntur, ideoque perſpirationis particulæ quæ hìc, aut illic nervis occurrunt, hanc vel illam jugiter ſpeciem movent; quæ motio ſpecierum cohærentium, aut non cohærentium magis pervios reddit nervos, eoſque conſtituit in majorem, aut minorem circumferentiam, per quam ſpiritus non poſſunt non ſolicitè, & turbulenter fluere, ſe ſeque in muſculos vocis diffundere, & verbis importunis eos magis exercitare.

Verùm enim verò ſi Mulieres obmuteſcant, eo pacto fieri propemodùm creditur, quo fontes ſalientes ſola interceptione affluentis aquæ ceſſant, vel ejus quantitate imminuta depauperantur; ita influxus ſpirituum voci inſervientium adeò interdum præpeditur, depravatur, ac imminuitur, ut nequeat ſuperare reſiſtentiam muſculorum, ideoque nec formare aptas undas, nec debitam vim contactus in fibris exerere; ſive veriùs minima ſucci nervorum copia, eaque inidonea ad fulciendum, & ritè movendum villos, atque muſculos, variis humoribus implicita agere non poteſt, nec intra inanitates fibrarum debitas vires exercere linguæ nimirum, laryngis, aſperæ arteræ, vel quia villorum, ac filamentorum ſpongiolæ ſunt lentis refertæ humoribus ſupra ſpirituum vim; vel quia glandulæ corticis cerebri ſunt nimis dilutæ, flaccidæ, & concidentes, ac idcircò cohibere poſſunt ſpiritus, eoſque inertes, & vacuos ſuis conditionibus reddere; ac propterea hìc impedire motum, illuc

Vocis privatio.

illic tollere sensum, adeò ut quasi mortuæ Patientes appareant. Paucitas itaque spirituum, qui non rarò fiunt impuri, adinstar pulveris pyrii aqua irrorati, vel luto, aut quovis lento humore subacti non succeditur, nec diffunditur; ideoque villi universi flaccescunt, & sensus, & motus intercipitur; cum parva semina vel in diffusione alternè non respondeant, vel moleculas astruentes fibras amicè non illustrent.

Madores, & sudores. Quoties madores, sudoresque eliminantur, toties momentum spirituum augetur, unàque multiplicantur liberiores eorum particulæ, quarum vi fibrarum machinulæ velocitatem contrahendi adipiscuntur, & humores impulsum, majoremque attenuationem; quinimò adeò fiunt perviæ, ac veluti perterebratæ partes, ut extenuent resistentiam, atque unionem, ex quo indè fit, ut cutis oscilla magis obuvia, & patula evadant; ac propterea transpiratio priùs excitetur, facilè subindè mador, demum sudor secernatur.

Frigus, & Tremor. Symptomatum molestissimum est tremor, atque frigus; quod vel fit à fuga spirituum, vel à crebra, jugique agitatione liquidorum irritantium, atque contrahentium musculos ad partes oppositas; sive, quod est idem, à mutua pugna sanguinis, ac spiritus lymphæ, scatentis seminibus nimis forsan mobilibus se se insinuantibus intra fibrarum inanes spongiolas, vel ineptè fluentibus per nervorum hiatus, ibique mordicantibus, ac promoventibus majorem, vel minorem interturbationem, & percussionis vim, prout magis, vel minùs memorata semi-

mina violatur, & adinvicem non reſpondent; in haa autem perturbatione ſpiritus per Uterum fluentes inveniunt diverticula, atque occurſus lenti humoris, ideoque inſtillantur intrà muſculos, è nervis interpolatè exploduntur, effunduntûrque inæqualiter; & ſic tremula oſcillatio exoritur cum frigore, quod tandiu durat, quandiu humores plùs, vel minùs jactantur, & nervorum excitant indicatas irritationes, quæ ſpiritus, & eorum undas interturbant. Variè autem in extremitatibus recurrit frigus, quod nunc fit ab humorum lentore nimis inhæreſcente villis, ac filamentis fibrarum, proindeque nervos præmente, & concutiente; nunc à vaſorum laxitate diverſas arterias, & venas pedum occupante, atque ita coanguſtante hiatus nervorum, ut ſpiritus ritè fluere, & agere nequeant, nunc à lympha alluente univerſa vaſorum filamenta; nunc tandem ab impuris, & torpidis liquidis implicantibus ejuſdem ſpiritus particulas; ac propterea adeò madefacientibus nervorum papillas, eorumdemque protenſiones, ut memorati ſpiritus aptè non fecundent, non confricent, nec luſtrent ſolidas partes; ſed potiùs ſe ſe in fugam conjiciant, ideoque partes extremas frigidas relinquant.

Dilucidè conſtat in hoc Morbo effluvia ſuaveolentia, quæ in orbem jugiter diffunduntur, nervos olfactorios facilè permeare, laxare, ac ſpiritus obnubilare, intervertere, irretire, ac veluti ſopore quodam afficere; nam tenuiſſimæ illius particulæ effluviis odoroſis, torpidæ, ac ſopitæ fiunt, & certam percuſſionis vim, & contactus haud imprimere

Symptomata quæ ab effluviis ſvaneelentibus emergunt.

S poſ-

possunt machinulis attruentibus fibras ea lege, qua decet, ut directiones, ac vires debitæ serventur, proindeque fluida congruenti ratione urgeantur, aptèque solidis partibus respondeant; permutent igitur oportet momento citiùs humores vi corporum beneolentium mistionem, impetum, temperiem, superficiem, atque figuram; ideoque obliteretur necesse est perspiratio, pervertaturque etiam pororum figura, cohæsio, ac singularum machinularum unio; hinc membranæ in lateribus distractæ minori vi restituuntur, minoremque impetum imprimunt contentis fluidis, ac propterea tam solidum, quàm fluidum totius corporis privantur mutua reciprocatione.

His præhabitis, nemo non intelligit ab effluviis beneolentibus quandòque tolli partium solidarum cohæsionem, & quandòque perfectam mistionem fluidorum, nunc ope summæ concitationis eorundem, nunc ope motus intercepti, vel lentoris aquisiti: verùm si luxuriantium effluviorum vi, aliarumque particularum hujus indolis tollitur partium cohærentia; cogitandum est memoratas fluidorum moleculas esse saturas adinstar aquæ fortis, salibus pungentibus, erodentibusque fibras, quæ invalescente agitatione adeò contrahuntur, & distrahuntur, ut semper magis urgeant, & circumprimant humores, eosque consueto calidiores, liquidioresque reddant; ac propterea tollant cohæsionem, & nexum machinularum se se mutuò complectentium, quia tunc liquidorum particulæ naturalibus suis motibus restitutæ agunt ea vi, qua pol-

pollent, in duriusculas partium moleculas, quarum superficiem elimant, & fœdus solvunt; quarè cohæsione sublata, si machinulas omninò non auferunt, saltem eas plùs æquo laxant, & abradunt: hoc patet cum infunditur aqua Stygia, vel oleum tartari in aliquam venam, illius namque vi sanguis ita concrescit, hujus verò adeò liquidus evadit, ut spiritus primò casu nimis coerceatur, secundo autem in tenuissimas auras abeat, ac proindè animal moriatur. *Observatio.*

Si igitur hæc liquidorum semina sanguinem pervertunt, & motum adeò incongruum singulis humoribus, ac spiritibus tribuunt, ut modò machinulæ solidorum dissolvantur, modò sanguis vel nimis attenuetur, vel nimis coalescat, modò spiritus evolent, tumulentur, aut extinguantur, ac propterea animal tollatur de medio; cur in Passione hysterica non poterunt uno, aut altero temporis momento nonnullæ liquidorum particulæ in libertatem assertæ plures, ac plures sulphuris, salis, ac aeris moleculas nisu elastico, eoque validissimo se se nimis dilatare, & cuncta sibi circumposita veluti perterebrare? cur non superare multiplices occursus, reflexiones, inæqualitates, ac resistentias in solidis, & fluidis? cur simul congeri nequibunt post tot perturbatos motus, atque attritiones certa quædam corpuscula, quæ referunt naturam, & indolem minimorum aquæ Stygiæ, olei tartari, & ignis, ac idcircò eorundem producere effectus?

Oppositorum doctrina apertissimè suadet, corpora malè redolentia suis tenuissimis, ac acerrimis

Quæ malè olent spiritus sopitos excitant, & abortum aliquando provocant.

effluviis, adeò nervos olfactus ferire, ideoque totam cerebri substantiam, jam forsan nimis laxam, aculeis acutissimis stimulare, & penetrare, ut succus nervorum diu in vinculis retentus, torpidus, evanidus, vel in fugam, aut tremorem conjectus expergiscatur, vel à suis vinculis liberetur; ex quo fit, ut glandulæ præsertim corticis impuris liquidis circumseptæ, ac ferè sarcina gravatæ excutiant, & depellant fæculentiam, ac propterea in libertatem iterum assertæ revertantur ad suum obeundum munus, & spiritus ad eorum undas, atque illustrationes opportunas. Quamobrem in raræ præsertim texturæ corporibus effluvia hæc malè odorosa ita turbant spiritus, & nervorum substantiam, ut convellatur ventriculus, excitetur vomitus, sæpissimèque dolor cum tensione, atque laxitate totius abdominis, & quandoque etiam succedat abortus.

Cordis Palpitatio.

Rursus spiritus tumultuosus cordis musculum ita exagitat, ut arctè, & rigidè stringat illum, diuque sua vacet diastole; undè ingravescente paroxysmo Passionis hystericæ de cordis spasmo, & constrictione cordis plurimùm coqueruntur Mulieres, cum ob impeditum cordis motum sanguinis sistat, onereque suo valde gravet, atque opprimat, & non raro vitam cum mortæ commutet.

Observationes variæ ex sectione depromptæ.

Hìc non est reticendum Puerperas ita interdùm laxari, ut parùm, vel nihil lochiorum eliminent, quorum præpedito cursu, nunc convulsionibus diversis, nunc tremore, & syncope, nunc vigilia improba, & febre corripiuntur, & quandòque è vita discedunt: earum plura cadavera aperui, & perspe-

ſpexi Uterum, & Vaginam ſanie cumulatiſſimam; alia item examinavi, & in veni membranas Uteri valdè tumoroſas, & aliquando hydatidibus, vulceribus, aut ſphacelo exſolutas, & præſertim poſt ſecundinæ retentionem; ex quibus omnibus infertur, ſpiritus vitiari, ideoque irrequietos evadere, tum quia lochiorum acrimonia irritantur nervi per Uterum repentes, tum quia inquinantur humores omnes, ac propterea memorati ſpiritus in eorum regeneratione turbulenti fiunt.

Nec minora affert incommoda Menſtruorum defectus, quàm exceſſus, cujus præſentia humores priùs acres, fervidos, ac raros, indè ſuccum nervorum æſtuantem, & partes variè jactatas reddit; quod itidem videtur accidere Mulieribus nimis ſalacibus, Viroque carentibus, quæ cum humorum colluviem ova flaccida, ſicca, & ſubventanea non depromant, irritationibus nervorum, aſſiduis divulſionibus, viribus conſueto validioribus, commotionibus cerebri, fibrarum diſtractionibus, uno verbo, omnibus ferè morbis obnoxiæ fiunt, & aliquando etiam jugulantur. Quod idem prorſus eveniſſe obſervavi duabus Mulieribus decumbentibus in Xenodochio Piſarum; cum enim ambæ obiiſſent, in altero ipſarum cadavere, docta manu reſecto, inveni teſtem ſiniſtrum valdè rugoſum, imminutum, prorſuſque humoribus vacuum; in altero autem dexterum ſatis tumidum adinſtar ovi anſerini, cum inflammatione Tubæ Falloppianæ uſque ad Uterum, cujus membranæ, fibræ, & vaſcula ibi protenſa non tam lympha, quàm aliis fluidis refertiſſima videbantur.

Diverſæ cauſæ hujus morbi.

Sectiones cadaverum.

Hu-

Hujuſmodi porrò ſymptomatibus torquentur Fæminæ cujuſcumque ætatis, & conditionis, Virgines nimirum viri potentes, & impotentes, Viduæ, Conjugatæ, tam fæcundæ quàm ſteriles, & potiſſimùm quæ pallido, aut nimis rubicundo colore afficiuntur; uti etiam Prægnantes pravis humoribus gravatæ, & Puerperæ lochia indebitè deponentes, quorum vi, & acrimonia nervi, & ſucci contenti vitiantur labe quàm maxima.

A varia partium læſione exoritur morbus.

Non enim ſemper ab Utero hæc ſymptomata originem ducunt, ſed longè ſæpius à cerebri vitio, aliarumque partium nervoſi generis, ut rem mihi non ſemel confirmarunt Mulieres quædam ruſticanæ; quarum una ſibi fortuitò amputavit digitum ſiniſtræ manus, alia altè ſuccidit pedem dexterum, altera ſibi luxavit brachium, aliæ verò repentino timore perterrefactæ variis illicò affectibus hyſtericis affici cæperunt, illiſque diu vexatæ fuere.

Differentia Paſſionis hyſtericæ & Epilepſiæ.

Diſcriminari videtur Strangulatio Uteri ab Epilepſia, quæ majori, jugique convulſionum contumacia lædit ſingulas facultates, & crebriorem reſpirationem facit, quàm preſtat Paſſio hyſterica, dummodò hæc non ſuſcitet Epilepſiam, in qua pulſus etiam eſt naturali major, in hyſtericis verò è contra; nam in fine paroxyſmi, vel excitantur tamquam dormientes, vel Patientes habetantur, pulſus fit parvus, & rarus cum murmure ventris, ſæpèque etiam, cum aliqua copia humoris effluentis ex Utero; ſed eſſet res immenſa, ſi differentias omnes inter has ægrotationes latentes enumerare vellem. At cum de iis quamplurima verba fecerint Viri exercitatiſſimi,

quos

quos quiſque ad libitum poteſt conſulere, ideò in his diutiùs immorari ſupervacaneum exiſtimo.

Ex hactenus itaque poſitis infertur, omnem irritationem, liquidorumque acrimoniam à ſalaci fluidorum diffuſione ut plurimùm progenitam laxare, ac diſſolvere fibrarum contexturam; hinc quiſque rationis limine inſtructus affirmare non dubitabit, quod evincit experientia, ſalis moleculas variis angulis, & ſcabritie donari, ac propterèa diverſas confricationes ubique moleſtas producere; Sulphurem pariter conſimilibus propemodùm angulis ditari, ſaltem qua parte allidit ad latera vaſorum, & diffunditur in orbem, tunc eò magis vires effuſionis, ac ſtimulorum augentur, quo magis ſalis volatilis corpuſcula, & ſulphuris commiſcentur, ſuccenduntur, & conſueta vi, qua pollent, invicem nituntur, urgent, atque ita penetrant vaſculorum villos, ut tollant fluidorum cohæſiones, & nexum ſolidarum machinularum ſe ſe mutuò contingentium. Quarè ſpectata tot virium exercitatione, admiſſoque tot ſtimulorum concurſu, omnia ferè ſecretionum genera moliuntur, citiſſimèque diſpeſcuntur inutilia, & ſupervacanea, quæ quaquaverſum commeant tortuoſa vaſcula, ac glandularum anfractus; imò graviore tunc olent odore, quàm quovis alio ſalutis tempore, uti colligitur in alvui proluvie, ſudore, & ſanie ex Utero, & Vagina exeunte, nec non ab urinarum copia, quæ omnia ſi quis ſedulò tentet, malè redolere inveniet, quia ſale, ac ſulphure refertiſſima reperiuntur.

Sal, & Sulphur, variè Uterum & corpus, universum vexant.

Ut verò conſtet Mulieres Uteri convulſione affe-

fectas carere ea relatione, quæ priùs intercedebat inter humores, ſpiritus, & partes, non opus hìc afferre hiſtorias earum, quæ contrahuntur, corrugantur, ſubſiliunt, immaniter diſtenduntur, & adinſtar veſicæ inflatæ extumeſcunt; cum etiàm tota liquidorum maſſa nimis exagitata, nimis tenuis, calida, flatulenta, & aliquando debita lympha, & ſero vacua fiat, ideoque lenta, tartarea, noxia, minimèque reſpondens meatibus fibrarum, & inanitatibus earundem. Nam pluriès ſine ullo dolore in cruribus, ac pedibus contabeſcunt Patientes, etſi facies, ceruix, & brachia ſanguine, aliiſque humoribus ritè fæcundentur; ex quo patet liquidum nervorum operi ſuo æquè non conferre, cum in partibus extremis, aliiſque etiam abdomine contentis præpediatur, interturbetur magiſque ſpaſmis continuis abſumatur, quàm in partibus ſuperioribus. Quarè poſt longum tempus hujus tam diſſoni motus adeò convelluntur contenta potiſſimùm in abdomine, ut membranæ, & muſculi item thoracis liberè reſtitui nequeant, ut glandulæ viſcerum, atque meſenterii non ſeparent, nec enomant inutilia; ſed potiùs tuberculis variæ magnitudinis, & ſcirrhoſis tumoribus cumulentur, ut tenuia, & quandoque craſſa inteſtina Eryſipelate corripiantur, ut folliculus bilis tumeſcat virenti felle, ut omentum nunc corruptum, nunc conſumptum fiat; demùm ut Uterus, Teſtes, Vagina, & Tubæ puſtulis, tumoribus, vulceribus, excoriationibuſque lædantur, ac propterea nihil quod non ſit inquinatum, noxium, atque morboſum redoleant.

Multa, Morborum genera poſt longum tempus exoriuntur

Quoniam verò in tanta motuum frequentia ſanguis

guis fluens, & refluens tam per majores arterias, & venas celeriùs, ac validiùs urgetur atque circumfertur, quàm per minimas arterias, & venas texturæ Uteri adsitas, illic libero, ac veluti pleno torrente, hìc non nisi per varios anfractus, obices, atque vasculorum angustias, non aliter forsan ac flumen aperto alveo magis celeriter decurrit, quàm si per cribrum trajiciatur; sed licèt non æquè effluat, tamen non multò tardius fluit, ac effunditur per sectiones ferè innumeras vasculorum Uteri, quàm excurrat per aliarum partium ductus; præsertim si ita intervertatur ordo, & figura minimorum fluidorum, unaque augeatur momentum particularum vires agentium, ut diversi spasmi, atque tremores exoriantur, ut vasculorum latera quasi limæ morsu abradantur, scindaturque summa cum molestia, & Uteri, & Vaginæ, ac proindè eliminatione cruoris. *Vasculorum disruptio.*

Verùm enim verò si inter moventem, & motum quædam requiritur proportio, eaque consistit in facili communicatione virtutis percussionis, emergentis à minimis spiritus lymphæ applicatis machinulis dimovendis; est rationi satis consonum memorata semina salis, sulphuris, & aeris, plùs vel minùs penetrare cujuscumque mixti compagem, prout major, vel minor est activissimarum particularum quantitas, sive rarior, aut densior partium unio; sed quamvis multa sit tenuitas vitiosi succi nervorum, tamen succus ipse non est adeò tenuis, ut in cunctis Mulieribus hoc morbo laborantibus sortiatur semper liberum undique transitum. Nam si fibræ, & villi convelluntur, dissolvuntur, aut concidunt, non ne

aliquantulùm præpediuntur, ac retunduntur vivida corpuſcula? Non ne alterantur, adinvicem pugnant, atque univerſas machinulas removent à debito termino, eaſque exſolvunt? ex quibus fit, ut permutentur figuræ molecularum, oſcilla cutis, fibrarumque inanitates; ac idcircò nimis mobiles particulæ ita permeare nequeunt interſtitia, ſpongiolas, & loculos interjectos, ut in modum effluvii, quæ morbum ingenerant, evaporent, quemadmodum oporteret.

Hìc ergò vitioſus liquor, exercens in quolibet Morbi tempore inordinatas vires, etſi omnia facultatum genera lædat, eſt tamen facilè exſolubilis, & ſuapte natura ad tranſpirandum promptus, atque accommodatus; dummodò non implicetur, ac obtundatur variis angulis, occurſibus, vaſorum concidentia, conſtipatione meatuum, atque aliorum liquidorum lentore.

Quæ conveniunt tranſpirationi.

Congruunt autem tranſpirationi quotidiana edulia, atque aſſiduæ exercitationes, quotieſcunque teſtimonio Celſi *labores cibum, & cibi labores non ſuperant*: ſi igitur inter hæc duo ſervetur proportio, ſervetur etiam tranſpiratio neceſſe eſt. At ſi multum fuerit alimentum, paucaque exercitatio, congeruntur excrementa, & minima in pollinem redacta, quę deberent elevari, aliis ſupervacaneis humoribus involuuntur, fiuntque graviora, nec ſponte ſua, uti priùs, deprimuntur; quinimò ſenſim, Mulieribus non ſentientibus, adaugent hujus Morbi apparatum. Recta igitur victus ratio, & moderatum exercitium mutuò ſe debent excipere, ut illa tranſpiratio verè conſiſtat, quæ ducit ad Morbi cauſam removendam,

ut

ut doctissimus Ramazzinus omnium scientiarum eximius Cultor, ac Patavini Lycęi lumen fulgidissimum de Principum Valetudine tuenda nuper memoriæ mandavit.

Transpirationi item depellenti Morbi causam conveniunt certa humorum indoles, quantitas, mistio, & corpusculorum figura; uti etiam salubrioris aeris mutatio, animus lætus, proportio somni, & vigiliæ, ususque balneorum aquæ dulcis, &c. ut causæ impetum facientes in cerebro, nervis, Utero, fibrisque universis moderentur; ideoque relinquant contexturam villorum omnium, & mistionem liquidorum cum ea vi, connisu, figura, & superficie, quemadmodum decet; & hac ratione per cutis oscilla foràs dejiciantur, quæ Uterum, & nervos inficiunt.

Convenire igitur videntur frictiones universi corporis, lotiones pedum, sectiones venarum, omnigenæque refrigerantium potiones, & potissimùm aquæ agri Lucensis, Ficoncellæ, atque Nuceriæ, tum ante, tum post paroxysmum ad hoc, ut dulci aquarum fræno coerceantur, devinciantur que nimis mobilia corpuscula, salsa nimirum, acida, nimisque diffusiva. *Quæ ad curam attinent.*

Hinc non immeritò summis laudibus extollunt Medicinam facientes Opiata, Requiem, ac Triferam magnam, pulver. C. C. ppi, Ocul. cancr., aliaque hujus generis. Commendant alii serositates caprillas ritè chalybeatas, ut fulciantur fibræ jam laxæ, simulque retundantur, ac implicentur humores, qui plùs justo luxuriant.

Non sine magno præsidio utuntur nonnulli la-

cte, jure tenui, ac insulso, vel aqua hordei benè diluto, aptaque methodo propinato. Utuntur fonticulis, vesicantibus, cucurbitulis scarificatis, aliisque quamplurimis, ut videre est apud Sennertum, Bonettum, Mangetum, Etmullerum, Rodericum à Castro, &c. At pro varia temporis, atque causarum Morbi occasione summi præsidii observavi Corticem Peruvianum ad plures dies exhibitum; imò in hoc Morbo sævissimis symptomatibus involuto non inutiliter propinavi pulverem radicis Ipecacuanhæ ad scrupulum, aut alterum, itemque potiones chalybeatas ad plures dies.

Adnotatu dignum est pulverem Ipecacuanhæ esse præscribendum Mulieribus nimia vigilia affectis, ac transpiratione minimè perfruentibus. Verùm si ægritudo hæc aliis involvatur morbis, attendendum est ad id, quod magis urget, aliis non neglectis.

Tutum demùm erit usurpare ol. amyg. dulc., clyst. ex eodem cum drac. 1. Trifer., mag., & alia multa, quæ in Consilio 88 89. commendantur ab Illustriss., & sapientissimo Malpighio.

CAPUT VI.

De Furore Uteri.

ANTECEDENTIA.

FUror Uteri est immoderatus, atque inhonestus appetitus, progenitus à minùs mobili copia, vividaque humorum vi, sale, & igne scatentium, quo-

quorum causa sæpissimè Mulieres insania laborant. Hujus Morbi subjectum crediderunt non pauci esse Clitoridem, alii Uterum, Vaginam, Testes, aut Tubas Falloppii; alii verò totam nervorum substantiam in Utero nimirùm protensam, ibique calidis irritaminibus plùs æquo jactatam.

Præcurrunt temperies calida, otium, ingluvies calidorum, lauta vivendi ratio, Animi solicitudo, irrequietus motus, emaciatio, loquacitas, cunctorumque vasorum tumor.

CONJUNCTA

HÆC ut plurimùm esse experiuntur, audacia sine ullo pudore, proritatio in universum, caloris mordacitas, vigilia, Uteri tensio, vel laxitas, sive testium tumor, vasorum spermaticorum, ac partium adjacentium.

SUCCEDENTIA.

DE sua sede mentem dejicit furor Uteri, cujus nimis mobiles causæ, nimisque irritantes singulariter laxant Uterum, stimulant corticem cerebri, spinalem medullam, totamque nervorum substantiam cum levi quadam mutatione eorum contexturæ, in qua, & vehementi motu, atque innumerabilibus causarum percussionibus adeò exagitatur succus nervorum, adeòque levi titillatione, ac tremore concutitur nervorum substantia, ut Mulieres rationis usum integrè exerere nequeant; nam

ma-

machinulæ Uteri, cerebri, atque nervorum activiſſimis ſeminibus liquidorum potiùs percuſſæ, quàm luſtratæ ſolicitantur adinvicem, plùs juſto urgent, quæ tangunt; plùs æquo agunt, eaque ita diſſolvunt à mutuo fœdere, ut reſiſtentiæ vaſorum repentium per Uterum, cerebri corticem, medullam, aut nervorum protenſiones debitè non reſpondeant viribus liquidorum, ac propterea illorum motus fiant oportet ſinè proportione, atque rationis lege.

Statuit Hippocrates in 6. lib. Aphor. tolli omne genus inſaniæ, dummodò ſuperveniant varices, vel hæmmorrhoides; ex quibus verbis infertur cauſam inſaniam producentem admiſceri fluidis tam fixis, quàm nimis fluxilibus, quorum ſemina partim inquinant ſuccum nervorum, partim commeant, & vitiant eorum conſtructionem, partim contaminat lympham, eam abſorbent, & exſiccant, partimque loculis interjectis cohærent, atque coucreſcunt; nam diffuſa corpuſcula ſulphuris, olei, & adipis, aliaque ſalis diviſi in minima fragminula aſpera, & ſcabra non poſſunt ita quieſcere in medio mobilium liquidorum præſertim calidæ temperaturæ, ut ob molis parvitatem, viriumque exceſſus non ſuperent reſiſtentiam, qua funiculi nervorum Uteri, cerebri, atque totius machinæ mutuò vinciuntur; ex quo fit, ut diſſoluto aliquantulùm fœdere ſolidorum, ac abruptis vinculis, & reciprocationibus fluidorum particulæ luxuriantes circumfuſi ignis, ſalis, ſucci nervorum, aliorumque hujus generis ſe ſe liberè moveant, totamque vim exerceant urgendo quaquaverſum, pulſando, ac per-

tur-

turbando ſpirituum undas, ne rectæ rationis ſpecies excitentur.

Poſtquàm verò ſanguis, cæterique humores, in Furore Uteri igne, ſale, aliiſque diverſis particulis ſe cumularunt, adeò noxii fiunt ſales, ac impuri, ſuiſque aculeis, quaſi tot mucronibus, & ſpiculis ita pungunt, & mordent membranas Uteri, nervoſque per illas repentes, ut collidantur adinvicem, ac propterea liquor nervorum nimis vexetur, cunctaque fluida æſtum procelloſum, concitationem, atque pernicioſam corruptelam acquirant. Quare cum Uteri pars, Platone teſte, ſit animata natura, quæ formam æmulatur nuclei ſiliqua contenti, jugique interdùm proſequitur irrigatione, ac ſtillicidio liquidorum æſtuantium, quorum alia fluunt, & refluunt tam per minutiſſima vaſcula Teſtibus, Tubiſque Falloppii adſita, quàm per venas, arterias vaſa lymphatica, atque interjecta canalicula latentia inter villos contractiles, nervorum filamenta, atque membranarum fibras; alia verò aſſidua ſtimulorum vi ſtabulantur in poris, ac meatibus memoratarum partium, ac veluti morſu aquæ fortis laxant, & laceſſunt; imò licèt Uteri implicata ſubſtantia ſit dura, & arctiſſimo vaſorum fœdere copulata, nihilominùs rareſcit tum ope concitatæ circulationis, cùm diverſarum vellicationum, quaſſationumque accomodatur ad abſorbendos illos humores, qui tam facilè penetrant inanitates ſpongioſas, & diverticula vaſorum, atque glandularum; imò villorum omnium, ut pervia, inaniſque earundem machinularum ſubſtantia combibat, & exſugat indomabilis ignis,

ignis, ac salis particulas, easque sub prælo ponat, ideoque privet serosa substantia, eamque intra poros, ac interstitia, quasi intrà parvas lacunas exsiccet, & adinstar tartari ejus particulas crassiores ferruminet, summa cum prurigine & partium circumobsidentium, quod tandiu durat, quandiu restincta semina ignis, ac minima salium segmenta mirè solidis partibus irretita, nova, majorique motus vi dimoneantur, madescant, dissolvantur, uno verbo se se liberent à vinculis pororum, atque anfractuum; ex quibus post tot vicissitudines novi circuitus, post iunumeras contractiones, & distractiones abraduntur à partibus mobilibus, cientur in motum vertiginis, evaporant, vel aliò asportantur.

Cogitandum itaque est villos internos tubulorum Uteri, Vaginæ, aliarumque partium indesinenter rigescere, & tendi, & distrahi, prout exiguam, aut validam constrictionem pati possunt, ac proindè operari eodem prope modo, ac tot arcus, nedum tensi, sed qui motum inchoarunt. Cogitandum, inquam, est dari corpora, quæ vi motiva, & impetu agunt contra gravitatem quiescentem alicujus humoris infarcientis Uterum, vel contra resistentiam inertem Thoracis, ac tartarei liquidi. Et quia vis impetus proritantis fluidi major evadit quacumque resistentia quiescente, hinc fit, ut necessariò vis illa motiva hanc quantamcunque resistentiam superare queat; verùm cum hujusmodi machinulæ villosæ impetum acquirentes sint innumerabiles, percussiones, impulsiones quoque innumerabiles efficiant oportet. Alienum idcircò non est à

ra-

ratione putare luxuriantes humorum particulas ad-instar pulveris pyrii accensi innumeris ictibus simul percutere singulas villorum machinulas, eas sublevare, contrahere, resistentias inertes, & quiescentes superare; ac propterea vehementi motu rarefacere, & innumerabilibus illis percussionibus, ac impulsibus depellere huc, & illuc humores irritantes, atque infarcientes totam Uteri fabricam, itemque nervorum tubulos accolentes ita, ut eorum motus interturbetur.

Superiùs exposita non solùm demonstrantur in qualibet fistula tormenti manuarii, vel muralis, dum ejus contextura magis, vel minùs dura, ejusque interna cavitas magis, vel minùs aspera, & inæqualis ob nimis diuturnum, nimisque repetitum ignis usum eroditur, eliquatur, seu, quod est idem, leviter dissolvitur, ideoque in interjectis loculis fit pulverulenta, hoc est restincto igne inquinata; tunc enim si novo pulvere pyrio fistula ritè oneretur, eique ignis apponatur, nec eodem prorsùs temporis momento minima granula pyrii succenduntur, nec eodem valido nisu vicissim erumpunt, & diffunduntur; neque pilas plumbeas directè ejaculant, ac ejiciunt ad eandem, quam priùs, loci distantiam, neque aerem consueto fragore collidunt; imò pulvis succensus hebetatur, atque retardatur à diverticulis, occursibus, ac lutulentis propemodum reflexionibus, in quibus facilè contunditur, ac restinguitur per totam longitudinem fistulæ, atque pororum inanitates.

Verùm enim verò si polluta fistula purgetur

fricceturque aliquo fluido, aut expolitè abstergatur, iterumque indè tentetur nitrato pulvere, cum ferri, vel metalli moleculæ, non uti priùs, sed aptiùs cohæreant, tunc vis percussionis, quæ à pulvere succenso progignitur, aeris fragor, latio pilæ plumbeæ ea certè, qua priùs ratione, ac temporis velocitate succedunt, & per æquales distantias diffunduntur; dummodò pulvis pyrius non sit uliginosus, aut scateat plùs justo, vel minùs æquo sulphure, nitro, aut carbone; quod si contingat, vis succensi pulveris ducet, & impellet altiùs, vel demissiùs, cæterosque effectus diversimodè omninò præstabit.

Nec dissimili profectò ratione sulphuris, ac salis corpuscula, aliaque calida, & nimis mobilia principia liquidis variis interspersa vicissim agunt, fluunt, & diffunduntur, motusque suos ubique perperam exercent, imò superatis innumeris diverticulis, & impedimentis, propriam substantiam diversis directionibus, ac velocitatibus, quibus pollent, communicant singulis machinulis totius fabricæ, & præsertim Uteri, atque nervorum repentium per illius fibras; & quamvis poros impervios memoratæ particulæ commeent, & penetrent, tamen hàc, & illac inæqualiter, variisque morulis disperguntur, tum quia meatus, inanitates, & interjecta spatiola sunt variè obstructa, contracta, & diversis fæculentiis referta, tum quia non videntur certo ordine disposita, sed flexuosis tricis, atque intersecationibus invicem inclinata; ex quo fit, ut humores acres, & volitare nitentes, quasi naturam ætheris (ut asserit Mainicius) æmulentur, eumque in locum, in

quem

quem errumpunt, motu celeri, & perturbato ſuſcitent æſtum, ſuavem contactum, inde tumorem; denique deflectantur quocunquè tanta cum virium inæqualitate, quanta videtur neceſſaria ad impuras ſpecies cæco impetu promovendas.

Quò major ergo fuerit Mulieribus copia particularum calidarum, eò major erit læſio Uteri nervorum, & interturbatio contenti ſucci; cum gradus caloris reſpondeant particulis nimis mobilibus, eorumque effluviis penetrantibus, confricantibus, ac penè dixerim erodentibus ſolidorum ſubſtantiam; quæ tametſi ad recipiendas motiones caloris diverſam ſortiuntur reſiſtentiam, quæ in ſingulis corporibus, partibuſque ſingulis eſt diverſa; nihilominùs caloris effectus irritationes, & laxitates cujuſcunque minimæ partis, potiſſimùmque nervorum, cerebri, Uteri, &c. augentur, aut imminuuntur, pro ut ſpirituum agitationes, ſive ignis, ſalis, ac aeris exſolutiones, vel inutilium retentorum quantitas liberis ſeminibus refertiſſima plùs, vel minùs intenditur, aut remittitur; quemadmodum ex accuratiſſimo, ac æquè doctiſſimo Roberto Boyle intelligitur, & ex antecedentium declaratione meliùs forſitan quiſque percipiet.

Calida itaque temperatura igne, ac ſale ſatura, juxta naturæ leges ubique præſens eſt, omnibuſque in locis vires ſuas exercent oleoſæ nempe, ſalſæ, ac ferè vitriolicæ particulæ; dum ſolidorum, ac fluidorum ſpongiolas ſubeunt, eas veluti rubigine contaminant, extingunt, tumulant; vel, quod minimum eſt, retundunt ignis moleculas, indèque paulatim *Calida temperies.*

onerant partes magis laxas, & raras humoribus hujus indolis; qui cum ab aliis fluidis non cohibeantur, nec moderari queant, si non illicò, & maxima velocitate, saltem plurima, dummodò tanta sit, uti decet congestio molecularum luxuriantium, urgent, & irritant singula glandularum vascula, aliaque in Uteri structura conserta, eorumque laxis fibris adeò adhærent, ut alios ductus nimis perstringant, alios patefaciant, aliosque ductus convellant, exsiccent, & claudant; ex quibus fit, ut plurima, alteriusque naturæ semina, nec æquali gaudeant momento, quiete, figura, velocitate, atque secretione: quantacunque ergò fuerit colluvies liquidorum, tanta erit vis, vellicatio, & tumultus retentorum fluidorum exaratis principiis scatentium ad motus illos caloris, & salacitatis excitandos, qui possunt Uterum, nervos, atque spiritus inficere, unaquè eorum undas, ac species honestatis invertere.

Otium. Nèc minoris noxæ videtur otium, cum villos, & fibras universas propria natura distrahibiles laxet, machinulasque solidas se mutuò tangentes leviter dissolvat; ac idcircò eas traspiratione debita privet, & paulatim curcumsepiat tam inutilibus, quàm utilibus humoribus; qui si ubertim, uti decet, regenerantur, redoleant etiam oportet salis, & ignis temperiem, quorum vi, & quantitate adaucta producentur, & fluent per singula Uteri vasa liquores eo scatentes momento, quod valet excitare indomabilem salacitatem, ac Mulieres reddere summo furore percitas.

 Otio

Otio plerunque jungitur mæſtitia, animique ſolicitudo, quæ ob maximam ſpirituum concitationem, & impetum plurimum humiditatis abſumit, fluidaque debito privat vehiculo. Quamobrem ſi humores aliquantulùm ſicci ſalſis, & igneis ſeminibus cumulati per conſuetas vias deriventur ad cerebri glandulas, progignatur oportet ſuccus nervorum eiſdem prorſus ſcatens ſeminibus, quæ ſua mobilitate, calore, & acrimonia nullo ordine ſuſcitant in nervis ferè ſingulis talem contactum, qui non modò ſuperat villorum continentium reſiſtentiam; ſed ita præpedit, atque exagitat in illorum laxis hiatibus fluentes, & refluentes undas, ut agat, & promoveat illas ſpecies, quæ furorem memoratum impudenter oſtendunt. *Mæſtitia, & ſolicitudo.*

Irrequietæ profectò evadunt Mulieres, quotieſcunque ſpiritus fieri incipiunt nimis liberi, atque mobiles, præſertim ſi expirent, penetrent, & tranſeant per venas, ac arterias, ſanguiniſque minimis involvantur; ſive veriùs, quando lympha ſcabris, ac aſperis ſalium principiis refertiſſima ſui aliqua ſaltem tenuiori portione refluit, atque humoribus intermiſcetur, tunc derivatur intra villorum inanitates nec purus ignis, nèc ſal integer; ſed quicquid fingi poteſt uni, & alteri ſimile ſaltem ratione velocitatis, confricationis, atque momenti, tunc fluunt, & undatim refluunt ſpiritus plùs æquò provocati; fluunt, inquam, & per omne vaſorum genus circulum agunt humores æſtuoſi, adeòque acres fiunt, ut illorum minutiſſimæ particulæ adinſtar pungentium, atque acutorum ſtimulorum pertenebrent partes ad conta- *Cur Mulieres ſint irrequietæ.*

ta-

tactum, ac propterea exoriantur tot contractiones, & distractiones, quot sunt fluxus, & refluxus undarum emergentium à nimis jactato, atque irritato nervorum succo; imò quot sunt contactus particularum sanguinis, instillationes spirituum, ebullitiones, mistionesque unius, ac alterius liquidi; uno verbo, quot sunt incisiones, diffusionesque agentium fluidorum in singulos villos, ex quibus omnibus fit, ut Mulieres nesciant ferè loco stare.

Loquacita, & Salacitas. Similiter à vi ignis, & salis fluentis cum humoribus, atque solidis partibus circumfusi, nec non à libertate spiritum hujus indolis proveniet item loquacitas, frequens scilicet musculorum linguæ motio, quæ tandiu durat, quandiu durat, & viget copiosus, celer, ac varius influxus spirituum, unàque perennat sanguis ditatus illis aculeis, qui necessarii sunt ad agitandam quamlibet partem, simulque agendam salacitatem.

Ab hac ipsa mobilitate rei calidæ, & luxuriantis in sanguine, & in nervis progigni solet siccitas, sive emaciatio membranarum, & villorum, adipisque eliquatio in tota fabrica, quæ major, aut minor apparet, prout major, vel minor est quantitas *Siccitas & emaciatio.* salis, ignis, aliorumque principiorum, acrimonia, atque vellicante materia scatente; quorum omnium jugi energia tot fiunt contractiones, & distractiones tum naturales, cum superadditæ, quot videntur necessariæ ad elimandas, ac veluti corrodendas solidas moleculas, quæ quò plùs stimulis, ac irritamentis solicitantur, eò magis semper contrahuntur, & distrahuntur, laxanturque vasa continentia humores,

qui

qui hac de causa adeò premuntur, & circumprimuntur, ut valdè, ac ferè supra naturæ institutum atterantur, ac volatiles fiant; proindèque nativa priventur serositate, commeent cuncta pervia, & impervia organa, foràsque quaquaversùm erumpant summa cum corporis jactura.

Quoniam verò singula vascula sunt fistulæ molles, & dilatabiles, facilè turgescunt, quotiescunque liquidorum cumulus sufficit repletioni, atque dilatationi earundem; vel tales sint humores, quales debent esse ad hoc, ut proprio æstu urgeant vasorum latera, sive spiritus tanti roboris recensentur, ut exerceant magnum impetum, musculosque satis contrahant & tendant. Quantò major igitur fuerit liquidorum copia, eaque onusta rarescentibus, ac liberis principiis, tantò major sit oportet cohæsio solidarum molecularum astruentium vasa; præsertim si memoratæ liquidorum particulæ fluant per loca, in quibus minores sunt resistentiæ viribus illorum, uti evenit Mulieribus Uteri furorem percitis; quæ sunt mobilibus, calidisque liquidis onustæ, quorum substantia adinstar vini ebullientis diffunditur, & canales universos attollit, ideoque tumidum, ac veluti flatulentum reddit totum corpus. *Cur tumescant.*

Ex antecedentibus jam expositis constat, à qualibet sanguinis portione progigni spiritus ejusdem rationis, eosque in nervos derivare, quantò magis ergò massa sanguinis per intervalla vitiabitur à Menstruls, vel hæmorhoidibus suppressis, tantò magis contaminabitur nervorum succus, qui propterea nullo ordine, ac certo motu irrumpet in partes; sed tan- *Audacia, temeritas, & impudentia.*

ta

ta vi, atque conatu in eas irruet, ut ſuſcitet ſpecies momenti majoris, ac patitur naturæ ordo, hujuſmodi cenſentur audacia, & temeritas, nec non impudentia.

Verùm enim verò ſi humores in hoc Morbo ita redduntur ſicci, & fluxiles, ut eorum tenuiſſimæ particulæ cohiberi nequeant, ne angulis, & ſcabris figuris, quibus ditantur, mordicent partes ſolidas, ſive pungant, confricent, ac veluti abradant internas vaſorum fibras; tunc non poterunt, quin conflent, & foveant calorem, qui tandiu durabit, quandiu villi, & fibræ in Utero, in nervorum involucris, atque in tota fabrica ſpiritu nimis mobili luſtratæ, jugi motu concitæ, ac ſale, tartaro, aliiſque impuris particulis imbutæ ſtimulantur.

Caloris duratio.

Tandem in longa irritatione Mulieres interdum vim hujus caloris vix, ac ne vix quidem ſentiunt, quia in villorum inanitatibus, & loculis interjectis, partes alioquin ſenſibiles adeò ſalſis, ac ſulphureis humoribus ſaturantur, ut quodammodò hebeſcant.

Cum autem hìc morbus calidus communiter exiſtimetur, debent liberiores liquidorum particulæ per corpus ita divaſari, ut per quamlibet partem etiam cutis deprehendantur, aut avolent, ac propterea multum humiditatis abſumant; quarè ſuccus nervorum debito humore privatus nec uti priùs moderatur, nec devincitur, nulloque certò ordine fluit, & undatim refluit; imò ita villos, & fibras conſueto magis permeat, ac indeſinenter exercet, ut tota ejus ſubſtantia fiat irrequieta, ac volatilis, ideoque hàc, & illac violenter curſitet, corpuſque nimia vigilia afficiat.

Vigilia.

Quo-

Quocumque autem hujus Morbi tempore pati ſolent Mulieres ne varias quidèm, ſed continuas dimotiones in Utero, in nervis, ſingulisque minimis tiliis corpus aſtruentibus; nam vis cohæſionis inter exillima corpuſcula conſiſtens imminuitur, adeòque laxatur villorum, ac filamentorum conniſus, ut humores nimis mobiles ſolvant etiam Teſtes, Ova ibi conſerta, Tubas, Vaſa ſpermatica, cæteraſque partes adjacentes; in quibus non modò congeruntur humores diverſę indolis, ſed variæ etiam energiæ, qui ob particulas tenuiores motu frequenti quaquaverſum nitentes, ideoque extendentes extrorſum ſingula vaſorum genera ibi circumeuntia; quinimò ob diffuſionis vim adeò interdum contrahuntur, & diſtrauntur villi, unàque rareſcunt glandulæ Meſenterii, Pancreatis, Lienis, Uteri, Vaginæ ac propterea ita laxantur filamenta, ac tiliæ cujuſcumque alterius partis in Abdomine contentæ, ut earum aliæ madeſcant adinſtar ſpongiæ, illarum aliæ tanquàm cera molliantur, aliæ demùm in ſimilitudinem follis tumeant; quod ſatis colligitur in Clitoride, in hæmorrhoidibus tumoroſis propter ſubſiſtentiam liquidorum, aut fluxus diminutionem, ſive eorundem lentorem, ſive veriùs uti hoc percipitur ex Vagina, quando in ejus lacunas per debita vaſculorum immiſſaria intrant inutiles lymphæ, & coaleſcunt; quarum cauſa canales omnes mutant inclinationes, præpediuntur adinvicem, dilatantur eorum membranæ, infarciuntur, valdeque craſſeſcunt glandulæ illi adſitæ. *Variæ laxitates.*

Si igitur ſanguis, aliique humores congerantur

versùs Uterum, & abundent igniculis, aliisve particulis acrimoniam producentibus, quæ à salium divisione proficiscitur; tunc eorum angulosa fragminula solicitant filamenta vasorum, & diversos caloris, & quandoque etiam frigoris, & tremoris effectus producunt; nam sulphuris constitutio, teste Dominico Guglielmini, constat similibus angulosis minimis, quæ ea saltem parte, qua allidunt latera vasorum, cum diffunduntur in circumferentiam, varios efficiunt contactus, diversasque sensationes.

Cur calor, & frigus.

Ex his porrò liquet delirium hoc emanare, tam à copia, & stagno Menstruorum, quàm à libertate partium mobilium, quæ tum in sanguine, cùm in nervis continentur; ex quibus dubio procul oriuntur vires dissonæ, ac vagi spirituum impetus, quorum vitium, atque læsio præsertim in nervis Uteri robustis connectitur ligamentis, communicatur toti cerebro, & præcipuè nervorum tirociniis; in quibus talis fit tremor, & concussio, qualis videtur opportuna ad tollendam consuetam nervorum rigiditatem; ac idcirco ad confundendas rationis species, quæ toties recurrunt, & desinunt, quoties absumitur materies, quæ Uterum aut nervos inficit; ac rursùs per intervalla derivat ad Uteri vasa, sinè exitu, iterumque nervos occupat, & cum tumultu undas, ac species turbat.

Delirii causa.

Furor hic, sive impurus appetitus vehementer excitat partes generationi dicatas, easque veluti inflammat, & ustulat tam in Puellis Viro maturis, quàm in Viduis, Sterilibus, cæterisque ægrè ferentibus castimoniæ prælia; cum in istis constans memoria,

ria, diuturnaque cogitatio rei nimis notæ ſit calcar furoris: & quemadmodum Cælibes, aliæque diu jam Viro preſſæ cæteris magis vexantur, ita Mulieres carnoſæ pinguibus, deſidioſæ exercitatis, graciles carnoſis magis uruntur; nam quò exquiſitior illis eſt contactus, rariorque partium exillimarum contextura, eò vividior eſt impetus, ac delicatior titillatio ſenſus.

Quæ, & quales magis vexantur.

Sæpiſſimè perennat in vaſculis Uteri, & Vaginæ vel in aliis prope Uterum repentibus, ſive mavis in omnibus disjunctim congeries humorum fervorem producens, quæ adeò firmas ibi radices figit, ut facilè Morbum degenerare faciat in inſaniam; de qua toties eſt hæſitandum, quoties Mulieres lenta tabe depaſcuntur, aut vehementi motu, atque elaſtico exſolvitur, ac diffunditur myriades luxuriantium molecularum, quæ in omnibus humoribus, atque corporis machinis vim flammæ quodammodò impertiri, atque alere videntur: quarè in his violenti, ac continui quidam motus obſervantur, quos nondum ſatis intelligo, an à ſola memoratarum partium læſione, an à commiſtione fæda, vel à diffuſione volatilium fluidorum in partibus ſuperioribus, lateralibus, aut imis procedere poſſint. Ego tamen puto hos ſupperadditos motus, aliaque ſæva Maniæ Uteri ſymptomata plerumque exoriri ab interpoſitione ſulphurearum particularum, ſive à ſalium ſpiculis in fibrarum inania intruſis, quorum inæqualis, ac aſpera materies debito vehiculo carens fit acutior, ſiccior, atque calidior; ideoque ſtimulat, lancinat, ac quodammodò convellit fibras, & vaſa ita diſtorquet,

Variæ cauſæ hunc Morbum producentes.

porosque cunctarum partium obstruit, ut materies memorata inhæreat lateralibus fibris, ac proindè eas subeat, & obstet motui succedentium igniculorum se se diffundentium, sive etiam obstet aeri necessariò commeanti; & quamvis impetus moventium liquidorum major sit eo, quo mobiles villi ictum persentiunt, ac nituntur hujusmodi impedimenta de medio tollere disjiciendo hàc, & illac objectas particulas, tamen eas satis comminuere, & in pulvisculum resolvere nequeunt, donec mutata superficie, & libertate transitus recuperata non restituantur irritantes salis moleculæ pristinæ constitutioni, unàque restinctæ igniculorum minimæ portiones non cieantur; indeque impellant supra certum resistentiæ gradum angulosas, asperas, atque miris modis involutas particulas salium, & alterius genesis se se constringentes. Quo facto exerceant oportet tantò majores nervorum irritationes, quantò majora fiunt effluvia, quæ excitant illorum principiorum vim maximam, vagumque impetum succi nervorum cum tensione quadam funiculorum, ac totius eorum substantiæ siccitate rationem prorsus labefactante.

Cur verno, ac æstivo tempore in maniam commutetur.

Sæpè autem verno, atque æstivo tempore Furor Uteri in Maniam commutatur, cum aer ditetur plurimo sulphure, eoque admodum exsolubili, parique copia exundantis salis; quorum circumfusa semina ab assidua rotatione in majoribus, minoribus, ac minimis vasculis, sive vasculorum circulis debent invicem atteri, & consequentur celerrimè exsolvi, mutuò occurrere, tandemque tale producere effluvium, quod valeat cuncta solida penetrare, & fluida divide-

dere, atque calefacere ; ac idcircò lympham resolvere, nervos percutere, spiritusque semper magis acres, atque irrequietos reddere, imò eorum maximo impulsu, jugique duratione percussionis varias undas elicere, diversasque impuritatis species suscitare, uti de Mulieribus varias historias scripserunt Olaus Borrichius, & Meniotius.

Quomodo humores in villis existentes Morbum producat.

Non rarò autem humores pravæ indolis continentur intrà sinulos villorum in tanta copia, ut foràs depelli facilè non possint; quo igitur illi fuerint viscidiores, ac asperiores, sive omninò destituti expolita superficie, ac respondente levitate, eò magis consistent, atque stimulabunt, & ad contactum irretient quicquid solutum, & facilè mobile est: Quare sinuli, & inanitates in partibus cedentibus, curvis, & flexilibus inæqualiter dispersæ fient magis inæquales, & profundæ, tum propter scabras, ramosas, & asperas superficies molecularum venientium ad contactum fibrarum Uteri, &c., tum propter diversum cohærendi modum villorum, atque filamentorum. Quantò magis ergo mutabitur directio nisuum, & cohærendi vis, tantò magis copiosa evadet retentio, seu congeries inutilium, vel magis, aut minùs libera erit materies, quæ impetum facit, novumque terminum solidis machinulis tiliarum, ac villulorum impertit: si igitur humores sicci, crassi, & lenti, aut alterius speciei superent plexus retiformes, subeant necesse est vasculorum sinulos, glandularum scatebras, earumque plateolas, nec poterunt se divellere ex Utero, Vagina, & ab aliis partibus, & præsertim à Testibus, sive à reticularibus texturis arte-

teriarum, quæ moliri nequibunt illam pressionem, atque liquidorum solutionem, uti decet; nam Uterus, & partes nimis forsam memoratæ evadunt uti arcus tensi, qui quousque intenduntur, sagittam non excutiunt, sed hoc opus solummodo absolvunt, cum post tensionem illicò laxantur; sic fibræ, & villi contractiles infarciti, tensi, & laxi humorum concretiones non solvunt, nec atterunt, non urgent nec secernunt, donec vi tensionum, & laxitatum compressos, ac veluti considentes humores se se exsolvunt; & à statu compressionis transeunt ad libertatem; tunc non modò consepultæ ignis, ac salis particulæ, verùm aliæ etiam ejusdem ferè energiæ occurrentes ita solicitant, & paulatim excutiunt vasorum villos sarcina gravatos, ut succus nervorum regenitus mutet impetum, atque agendi vim; imò dictæ calidæ particulæ ab Utero erumpentes incredibili quadam velocitate agunt in circuitum, ideoque etsi suapte natura, si seorsum sumantur, sint innocentes, noxiæ tamen, acerrimæ, & erodentes evadunt, si perperam, & pessimè simul commiscentur: quamobrem nervos etiam atque etiam percutiunt, atque adeò agitant, ut non modò subeant, & permeent poros, verùm etiam in his proprium motum invertant, æstum suscitent, unàque progignant varios tumultus, qui proindè sunt in causa, ut magis magisque irritentur ad invicem solida, & fluida, quorum tenuiores particulæ propria vi, & æstu semper magis concitantur, æstuant, & diffunduntur adinstar effluvii, non secus ac quandò insufflatur supra prunas. Quare partes genitales Mulierum humoribus

calidis onustæ furenti quodam libidinis stimulo agitantur, ac veluti convelluntur, & tremunt, uti accidit rabie furiosa correptis corporibus.

Quoniam verò non eodem modo se habent effluvii calidi particulæ erga omnes Uteri partes diversa contextura, unione, ac temperie pollentes, cum ab his citiùs dimittuntur, ab aliis verò mordicùs retinentur; mirum propterèa non est quædam corpora, nonnullas eorum partes calorem semel conceptum diutiùs fovere, & igniculos semel intrusos cohibere ne effluant. Id quisque ad libitum observare poterit in vestibus, stragulis laneis, vel holosericis, præsertim si eorum aliquanto laxior textura sit, non minùs ac in plumariis, culcitris, &c., quæ veluti igniculorum retia vulgò habentur. Excogitare itaque quisque potest Uterum, ejusque partes adjacentes retinere confluxum igniculorum, salinarumque particularum mutuò coalescentium, quarum vi in tanta filamentorum, ac fibrarum laxitate adeò irritatur substantia nervorum, ut eorum succus omnem motum depravet.

Variè effluuia exeunt

Cæterum Hipp. testimonio 6. aphor. statuitur metum, & tristitiam longi temporis constituere Melancholiam, in qua facilè est percipere impuræ rei species perturbato Mulierum animo obversari. Tunc enim adeò firma, & expolitè exacta fiat oportet cohærentia nervorum Uteri, & partium ejus ad circumferentias undarum, ut nervi per totum Uterum, ac abdomem repentes siccis, pravisque humoribus respersi non possint restitui; & quamvis succus nervorum nitatur in nervos ipsos, in eosque in-

Nervorum siccitas.

inducat tremorem, eundem tamen semper tremorem dissonum faciunt; postquàm verò diu dimoti sunt, debita lympha privantur, ac idcircò restitui nequeunt, quia densiori constructione, siccioribusque liquidis donantur.

Cur excitantur vires, & motus dissoni. Ab insinuatis ergò minimis liquidi nervorum naturam ignis æmulantis in fibras, & villos, veluti à tot cuneis in immensum multiplicatis excitantur vires, motus, impetus, atque percussiones contra inertem, ac quiescentem resistentiam omnium partium; imò contra gravitatem quiescentem, liquidorumve tenacitatem: veruntamen spectata multitudine inter se agitatarum molecularum succi nervorum, totidemque spectatis villorum machinulis, quæ simul, & assiduè impulsionem, & percussionem suam ubiqne efficiunt, vix ullus concipi potest locus, per quem non transeant, & in quo vires non exerceantur indebitè; cum adeò exagitentur, & laxentur nervorum incohamenta, ut spiritus, qui tunc regenerantur, luxuriantes nimis, & quasi flammei, ac æstuosi fiant, ideoque depravent omnes functiones: tandem spectatis proritationibus, vel confricationibus, innumerisque porositatibus partium Uteri, quæ certa quadam proportione debent respondere, itemque certum robur retinere, & magnitudinem circumscribere; tamen ex igniculorum multitudine, ac implicatione fluidæ materiæ, qua coagmentantur, quave partes partibus ferè agglutinantur, deflexionem, adeòque conspicuam mutationem patiuntur, ut machinulæ solidæ quasi mutuò addensentur, commodumque aditum interjectis par-

particulis calorem excitantibus præcludant, ne alio transferantur, aut disjiciantur. Patet ergò necessariò structuram fibrarum, earumque tensionem non omninò differre à contextu, & operatione madefacti funis, in cujus nexu, cuneoli aquæ laxant inanitates filiarum; imò minima filiarum tendunt, madefaciunt, & tumorosa reddunt, ex quo fit, ut tardè aqua insinuetur, tardèque egrediatur; sic quandoque in villos, & fibras Uteri, partiumque proximarum, imò viscerum, & vasorum se se diffundentium per hypocondria Mulierum tardo motu insinuantur cunei liquidorum cujuscunque generis, lentè aptantur, lenteque egrediuntur, vel quia resistentiam, variamque meatuum figuram à tensionibus, & pressionibus exortam inveniunt, aut quia magis retunduntur, mutuò opponuntur, atque ita acervatim congeruntur, ut indesinenter mordeant inanitatum parietes, talique stimulorum vi, ut fibrarum pori, & inanitates dilatentur, in eisque congestæ mobiles, atque elasticæ moleculæ sensim diffundantur; ac idcircò Mulieres nunc convulsionibus variis, nunc tensionibus universi abdominis laborare videantur. *Cur tensio, & convulsio.*

Jure meritò tunc solidæ partes haud integrè reficiuntur, dum pororum configurationibus minimæ liquidorum partes non respondeant; quandoquidem prævia incuneatione memorata, non solùm natura non consequitur debitam reparationem, verùm nec expurgationem in Utero, nec alias separationes in cæteris visceribus; ex quo fit, ut succi spirituosi, qui iterum regenerantur, eam indolem

Quare non fit reparatio.

ſortiantur, quæ potis ſit canales omnes ita ſolicitare, urgere, & contrahere, ut ſanguis rapida quadam velocitate, & circuli vehementia multum lymphæ abſorbeat, ac veluti abradat fibras; ac proindè ſecum transferat innumeras alias particulas amovibiles, quæ conſueto citiùs ex canaliculis glandularum, & potiſſimum omnium viſcerum diſpeſcuntur, nec eo tempore labefactatam ſanguinis, aliorumque liquidorum conſtitutionem reparare queunt.

Sint igitur humores inertes, ſatiſve concitati ſint, fibræ Uteri, Vaginæ, Teſtium, aliarumque proximarum partium tenſæ, rugoſæ, convulſæ, exeſæ, ſive laxæ uſque ad certum gradum; ſi liquidorum vires, & motus ad fibrarum vim, & reſiſtentiam illam proportionem habuerint, quam ſervare debent, tametſi humores fuerint inertes, aut valde jactati, fibris nihilominus laxis, aut tenſis quodammodo reſpondebunt; ſecus verò, ſi illa relatio, quæ debet intercedere inter fluida, & partes memoratas, violetur, aut pereat, invertatur oportet quicquid in Utero, imò in univerſo corpore peragi ſolet.

His præhabitis, eſt rationi conſentaneum putare Mulieres hac furoris labe affectas priorem molecularum nexum, & motum non ſervare, nec pervios meatus concinnè fluidis reſpondentes, neque figuram, temperiem, firmitudinem, denſitatem, mollitiem, & raritatem, quibus naturaliter donabantur; nam in nonnullis ægris fibræ, in quas longa conſuetudine humores abundantiùs confluunt, ſummoperè imbecillæ evadunt, præſertim ſi eis inhæreſcant ad modum glutinis, vel pigmenti, ſive

Quid ex carentia relationum.

ve-

veriùs in fibrarum rugis, aut earum spongiolis, atque inanitatibus coalescant; tunc porrò rigent, solita vi privantur, curvæ fiunt fibræ, neque spirituum opportuna illustratione, quæ respondere deberet singulis motibus, muniuntur, ac propterea non expellitur, quod infestum est. Hinc Uterus, Tubæ, Ovaria, Vagina hujusmodi humorum colluvie infirmantur, nunc Erisypelate, aut quovis alio tumore, nunc adeò fluidis imbuuntur, ut quodammodo hydatidibus cumulentur; nunc dolidè tenduntur, vexantur, & convelluntur, nunc scabræ crustulosæ, ac veluti squamosæ fiunt; nunc tandem siccæ, abbreviatæ adinstar corii propè ignem, uti dilucidè percipitur à diversis Mulieribus hac dira ægritudine correptis.

Hic animi angor semper defixi in hac una, & quidem impurissima cogitatione, ut vult Aretæus, sive ab hypocondriorum læsione, sive ab Utero exsurgat, Passio hypocondriaca, atque hysterica appellatur; verùm si emergat à parvitate materiæ, multa quidem velocitate, parique momento ditatæ, quæ nervos Uteri inficiat, & spiritus interturbet Uteri Furor optimo jure nocitatur; cujus curatio eò dirigenda est, ut corrigatur quod impetum facit, & proritationem, ac colorem suscitat. Quare venarum sectiones non improbantur, & adhuc minùs refrigerantia, quæ acres humores retundunt, uti sunt potiones aquæ Ficuncellæ, Nuceriæ, Agri Lucensis, &c.; quæ mirificè calorem moderantur, & salem combibunt, uti fatentur doctissimi Medicinæ Cultores, & nuperrimè ingeniosissimus, ac celebra- *Curatio.*

tissimus Franciscus Antonius Bertini in lib. Medicinæ vindicatæ; accedunt balnea aquæ dulcis, quæ Uterum, & corpus universum refrigerant, madefaciunt, & pervium pro transpiratione reddunt. Si verò obstructa fuerint Uteri vasa, sive hypocondria tensione, aut siccitate afficiantur, tunc aliis etiam remediorum generibus utendum est; tandem vitentur noxia, exerceatur corpus, Animusque versetur in rebus honestis ad hoc, ut lues hæc tam impura resolvatur.

CAPUT VII.

De Sterilitate.

ANTECEDENTIA.

STerilitas est concipiendi impotentia, tam vitio Genitalium, & seminis, quàm Uteri, ejusque finitimarum partium, sive liquidorum eas ineptè foventium. Præcedunt nimius calidorum usus, & præsertim vini meri, ira exardens, immodica corporis motio, partium colliquatio, obesitas, eduliorum improba ingluvies, vasorumque plenitudo.

CONIUNCTA.

CReduntur signa Sterilitatis vitium Uteri, ac partium circumobsidentium, mala scilicet organorum conformatio, nimis tenella, atque adulta ætas, Morbus, cachexia, & congeries fluidorum pra-

væ indolis in qualibet interna parte Uteri, aut quicquid privat solidum, & fluidum mutua, qua decet, relatione.

SUCCEDENTIA.

INnumera ferè sunt organa, quæ facilè, ac sinè noxa moventur, & ad opus Conceptionis conspirant; & quamvis non satis firmo vinculo inter se se conjungantur, facillimè tamen in una; penè dixerim, sede conveniunt, dum ea, quæ inter se dissimilia sunt, adinvicem copulantur; hujusmodi sunt humores, spiritus, & partes Viri, & Mulieris, quorum vires, agendique rationes debent adeò alternè respondere, ut secundùm naturæ leges Generationis organa simul uniantur, contrahantur, tendantur, atque distrahantur; proptereaque spiritus impetum faciant, ea plenè lustrent, ac molliter moveant, ut tandem humores foveant, commeent, & penetrent Uterum; imò ut vividissimæ moleculæ peculiari vi percussionis Ovum, ejusque moleculas solvant, & moveant.

Concipiendi itaque impotentia innumeras supponit causas in partibus Generationi dicatis, in humoribus, atque spiritibus; sæpè namque supponit Uterum valdè tensum, cujus tensionis vi veluti sub prælo ponuntur humores, & à singulis loculis, ac spongiolis fibrarum depelluntur lymphæ, quasi aqua intra innumeros poros funis substinentis grave pondus insinuata; quarum privatione non parùm æstuant humores, nec parùm Uteri partes arent; sed adinstar membranæ coriaceæ adeò contrahuntur, &

abre-

abreviantur, ac si essent propè ignem.

Villi igitur contractiles, si plùs æquo tendantur, & convellantur vi motiva, qua scatent, agunt, tunc temporis contra naturalem motum liquidorum, quàm memorata vis sit major omni liquidorum resistentia; quare machinulæ villosæ tot, quot sunt, contractionibus etiam superadditis, impulsus, percussiones, & contactus violentos eliciunt contra impetum fluentium liquidorum; hinc villi Uteri spiraliter convoluti, & in complicatione inæquales, & in memorata inæqualitate hic crassi, illic tenues, inæqualiter moventur, permutant positionem machinularum, & magis in uno loco, minùsque in altero nituntur ad contactum; proindèque deflectunt plures, & variè combinationem musivam perturbant, villorumque omnium virtutes invertunt. Si igitur fibræ, ac villi contractiles constituentes folliculum Uteri, simulque vascula diversi generis ducantur spiraliter, & inæqualiter ad superficiem cujuscunque membranæ, suis nimirum cum filamentis plùs minùsque invicem irretitis, variæ dispositionis, & ordinis, diversas vires, & motus exerceant oportet.

Patet ergò momenta contractionum esse inæqualia, quia oriuntur à diversis facultatibus contrahentibus, à variis villis, & fibris diversa crassitie, & connisu ditatis, iterùmque à diversa spirituum vi, & quantitate villos, & fibras lustrante. Qua de re ubi villorum crassities est major, ibi major sit oportet virtutis conatus, & ubi minor cohæsio, & machinularum moles, minus absque dubio & momentum. Si igitur circumferentiæ innumerabilium, penè dixe-

xerim, vasculorum serpentium intrà, & extra Uterum comprehenduntur à villis æqualis crassitiei, variæ dispositionis, & ordinis; si aliæ, & aliæ arteriæ, totidemque venæ, & vasa lymphæ; si glandulæ molis diversæ, constructiones musculi mutuo non consonant & vario gaudent nisu; si urgentur in nimia contractione, & tensione machinulæ villos componentes; si dimoventur millæ inæqualibus motibus, etiam pressionis, & circumpressionis, ac præ multitudine mutuò obscurantur propter inæquales impulsus, & vires; liquida etiam fluent, & refluent, agent summa cum agitatione, se se undique perturbabunt, & agent tam per medias canalium partes, quàm per alias ad superficiem, quæ omnes, sicut inæqualiter dimoventur, inæqualiter, & confusè urgeantur, moveanturque necesse est contenti humores. Hinc deduco liquida etiam incredibilis exiguitatis disposita in seriebus minutissimorum globulorum esse necessariò mutanda penes ordinem, & contactum humorum succedentium, penes velocitatem, figuram, superficiem, atque mistionem; ex quibus fit, ut in fluxu, & refluxu proportione debita invicem non succedant, sed jactentur, mutuò concutiantur, atque ita invertantur, ut nullo pacto respondeant sibi invicem, & multò minùs Uteri partibus pro fæcunditate ritè consequenda.

Cum autem Uteri partes, aliæque ipsi conjunctæ præ nimio motu, eoque non naturali haud consistant in debita positione, nec consentiant alternè, nec benè respondeant cæteris partibus, quæ satis quiescunt; quinimò cum sejungantur ab illis, divellantur,

tur, atque laxentur, tunc veniant oportet ad contactum tot inæqualitatum, quot sunt illæ cedentes moleculæ, quæ villos, & filamenta componunt, in quorum interjectis loculis multum congeritur humoris irritantis, erodentis, magis magisque laxantis, & madefacientis machinulas; ac proinde eas à naturali connisu adeò removentis, ut quaquaversùm humores exsudent, & quodammodò alluuant exaratas partes; sive veriùs extra proprium cohæsionis terminum dictas moleculas redigant, & tandem turgidas eas faciant, ideoque vascula reddant adinstar tot Aneurismatum; quo in casu armonicus illæ partium consensus Conceptioni conveniens perit, unaque perit relatio intercedens inter partes maximas, & minimas; &, quod rei caput est, restinguuntur vegetiores particulæ ignis tum Ovum, cùm Uterum foventes, simulque liquida, & semina utrumque fæcundantia.

Res hujusmodi evincitur, cùm semina frumenti consistunt in terra nimis diluta, inundata, ac prorsus vi ignis destituta; singula etenim inchoamenta frumenti tunc paulatim laxantur, sive plùs, quàm decet, imbuuntur aqua, nec in tanta laxitate, atque alluvione alternè explicantur rudimenta plantæ, sed dissolvuntur; quinimò activiores particulæ germinationis opus promoventes priùs hebescunt, restinguuntur, cætera verò minima mollescunt, flaccescunt, ac veluti putrescunt: Terra item nimio liquore subacta caret debita vi atque cohæsione suorum principiorum, ideoque salis, ac sulphuris circumfusæ particulæ retunduntur, ac delitescunt, uno verbo, tam partes terræ, quàm seminis privantur consue-

ſueto momento, debito contactu, atque mutua relatione; quorum defectu ſemen non aptatur terræ, tanquam Utero, nec terra ſemini, tanquam ovo, ac idcirco germinatio deficit.

Cum itaque per vim naturalis cohæſionis ſingulæ partes eo modo, quo poſſunt, ſeparationi reſiſtant, aſſero jam ſpiritus, & humores rerum calidarum abuſu nimis diffluere, ac dilabi; ideoque nec aptè fulcire fibras, nec ita eas inſtaurare, ut villorum machinulæ obnixè hæreant adinvicem, diviſionique reſiſtant; & quantò magis Uterus, ejuſque filamenta ſunt fragilia, & languida, tantò magis memorati ſpiritus, & humores ignis, & ſalis particulis imbibiti eorum tilias, & machinulas variè adinvicem inhæreſcentes commeant, penetrant, ac veluti diſcindunt. Tam facilè igitur diffluunt humores ex ſe ipſis, & tam facilè divelluntur à complexu minimarum partium, ut nulla particula ſit, quæ ignis naturam non redoleat, & vim ignis, ac ſalis non exerat, & proptereà quicquid venit ad earum contactum non diſſolvat. Ex hoc quiſquis arguere poteſt liquidorum particulas hujus indolis haud reſpondere poſſe cuicunque parti Uteri, neque finitimis partibus Tubæ, Teſtium, earumque omnium cohæboni: quamobrèm in ſingulis fibris vires, & facultates, reſiſtentiæ, & relationes adeò invertuntur, ut nulla fibra, aut machinula ſit, quæ proprio, ac naturali fungatur munere.

De re hac perhibent teſtimonium Mulieres ut plurimùm madidæ vino, cujus ſpirabiles particulæ quaquaverſum diffuſæ adeò laxant, & dilatant con- *Immodicus uſus vini meri.*

 tex-

texturam fibrarum, ut tumeant ſingula vaſa, ac propterea fiant tam pervia, & diſſoluta, ut invicem præpediant, ne concinnè ſibi reſpondeant, nec debita virium proportione contrahantur, & diſtrahantur. Quare humores omnes ſalſis, & igneis vini particulis circumfuſi adinſtar maris procelloſi concitantur, jactantur, & violenter percutiunt parietes vaſorum; imò tali vi, ac impulſu fluunt, & refluunt, ut omnes partes Uteri, Teſtium, Tubarum, &c. potiùs alluant quàm alant, ac propemodum ultra illarum reſiſtentiam exagitent, irritent, concutiant, atque excalefaciant. Humores igitur tumultuoſi nedùm per arterias, & venas ſumma velocitate vehuntur, verùm ignis particulæ ea, qua pollent vi, penetrant, & elimant quicquid venit ad eorum contactum; & tanto tumultu ſe ſe inſinuant in omnem quamvis minimam partem Uteri, Teſtium, Ovorum, Tubarum, &c. ut nulla ſit machinula memoratarum partium, quæ vim non patiatur, laxetur, atque commutet figuram, & contactum, ac propterea non perdat multum propriæ ſubſtantiæ, & facultatis; quum his quodammodò accidat, uti ligno ſupra ignem conjecto, cujus fibras diſcindit, comburit, & reſolvit. Nulla igitur eſt Mulieribus vinolentis fluidorum molecula, quæ non æſtuet, non concitetur, concutiatur, ac veluti ſub prælo innumerabilium virium non prematur, & mille miris modis non ſtimuletur, ac propterea non ſolvat alium ignem illis circumfuſum; nulla namque eſt glandula, & præſertim corticis cerebri, quæ tunc tremore non corripiatur; nulla demum reperitur pars, quæ ita non oſcil-

cillat, & nutat, ut evomere haud cogatur multum lymphæ, ac paulatim areſcere: vinoſæ ergò Mulieres præpediunt conſonam ſucci nervoſi regenerationem, cujus vivida ſubſtantia tam valdè agit, atque adeò perturbatè cietur, ut humores ſummoperè exagitentur, & quaſi flammei, & æſtuoſi fiant; quarè Ova igneis particulis quocunque circumſepta nunc elixata, & arida evadunt, nunc ita ſuis capreolis, membranis, & vaſculis involuta, ut præ molis parvitate ſenſum fugiant; quemadmodùm ſemel oculis armatis ſedulò obſervavi in cadavere vinolentæ Mulieris, quæ repentè de medio ablata eſt ob immodicum generoſi vini uſum, cujus vi Ova, & Ovaria ita oculis obverſabantur arida, & contracta, & Teſtes, Ova, Tubæ, aliæque partes illis adſitæ prorsùs tabidæ adinvicem involutæ, & implicatæ viderentur.

Obſervatio cadaveris vinoſæ Mulieris.

Dantur profectò hæc omnia ſine evidenti fervore, & ſive ullo ex iis indiciis, quæ ſenſibus oſtendunt ſimiles mutationes fieri per vehementes agitationes partium, ac earundem motum localem; igitur in omni parte Uteri dantur motiones locales, & ſunt tantò majores in numero, quantò majores in numero recenſentur minima componentia cujuſcunque filamenti, ac villi; & licèt motiones indicatæ non ſint vehementes, nec validæ, ſed leves, atque lenes, tamen ſunt præter ordinem, ac idcircò dantur impulſus, preſſioneſque præternaturales in omni liquido per Uterum dilabente, cujus minima corpuſcula uſu vel abuſu calidorum veniunt in agitationem, & impetum, ac proindè vividiores facilè divelluntur à cæteris. Toties ergò tollitur cohæſio partium

Vehemens agitatio.

tium, tolliturque impedimentum, quo fiebat, ut particulæ liquidorum in tardum motum venirent, quoties à resistentia aliqua contranitente non cohibentur humores facientes tumultum; sublata igitur cohæsione memorata ope nimii corporis motus, aut concitationis animi, tam solidæ, quàm fluidæ particulæ in quandam libertatem, & vehementem confricationem veniunt; ex quibus indè oritur universalis tremor, atque luxatio in singulis partibus, quæ idcircò minutatim exsolvuntur, & restituuntur: hinc mirum est quantum post immodicam ingurgitationem calidorum solvantur particulæ ignis sanguine, & liquido nervorum circumfusæ; quantùm dura solidorum, & fluidorum componentia atterantur; quantum momenti invicem acquirant; quantùmve fervoris excitetur in sanguine, atque spiritibus se se ubique effundentibus: sed hæc solutio illico, & continuò facta à jugi fervore, ac spirituum agitatione varios producit effectus, quorum alii hìc urgent, rarefaciunt, & cohæsionem tollunt, illic contrahunt convellunt, & rugas, sive minutissimas crispaturas pariunt, alibi fluida resolvunt, fundunt, indurant, atque eliquant; demùm faciunt arescere, imò ita pervertunt fluida, atque Uteri partes, ut ibi Ova fæcundari nequeant.

Dum igitur paulatim, & continuò per singulas Mulierum partes vis ignis jam humoribus intermixti protrahitur, tiliarum, ac villorum machinulæ certis privantur liquidis, & Ova Testibus conserta, eorumque particulæ partim elixantur, partim in tenuissimas auras abeunt; cæteræ verò lymphæ crassiores du-

Nimii caloris effectus.

durescunt, uti observatur in non cubatis gallinæ ovis, dum per elixationem coalescunt; quod item tempore summi æstus experitur in arida terra, cujus partes igne valde imbutæ adeò arescunt, ut nullo fædere invicem conjungi videantur, ex quo fit, ut frumentum in terra conditum quodammodò ustuletur, absque eo quod germinare queat.

Verùm enim verò si ex immodico corporis motu, ex hactenus dictis, tollitur naturalis connisus partium, tollantur, simulque turbentur oportet operationes, quas postulat, & exigit uniuscujusque organi contextura, atque facultas: his positis, dico Uterum & partes Generationi inservientes vi confricationum, & pressionum nimis forsan repetitarum, vique immodicæ iræ, aut cujusvis pathematis animi permutari, ac propemodùm destrui humores, proindèque turbari spiritus, & succendi tam per vim insitam, quàm per externam; ideoque violentiam pati, vel, quod minimum est, impetum nancisci, urgere, cogere, atque elimare, imò exolvere, & quodammodò ceream, ac mollem reddere Uteri substantiam, ac idcirco præpedire quæ ab exeritationibus ejus pendent; nam ab incursu igniculorum molles, nimis flexiles atque raræ evadunt fibræ, quæ quasi absorbent, aut dissipant ejaculatum semen, & languidum, ac evanidum calorem naturalem constituunt; quia omnis cavitas pororum, atque meatuum depletur, & obstat tentanti liquido nervorum, cujus substantia, & momentum adeò imminuitur, ut nihil Generationi congruere videatur.

Corporis motus nimius.

Patet autem liquida ad Ovum perducta aliquem

sem-

semper motum habere, quo se subducant à coalescentia, quod quidem fit tam ratione pressionis, & circumpressionis, quàm ratione æquilibrii, & oscillationis cujuscunque partis internæ; sive igitur per unum, aut per utrumque id contingat, necessarium est, ut liquidum fæcunditati opportunum, & ad Ovum perductum non omninò quiescat; sed placidè urgeatur, seu, quod est idem, concinnè moveatur quousque expectet tempus maturationis, initiumque sumat æstus, quo lustretur, penetretur, ac semine fæcundetur; verùm si post certum maturationis tempus, ac æstus Ova non illustrentur, evadunt sicca, aut tabida, ideoque Generationi inidonea.

Semina liquidorum ovi indigent motu.

Quoniam vi nimiæ exercitationis, aut cujuscunque alterius causæ invertentis, ac absumentis humores valdè laxantur, elimantur, atque gracilescunt partes omnes, debent tam liquida intermixta, quàm contenta intra canales fibrarum, atque membranarum poros ita agere in motum reciprocum, ut singulæ quæque particulæ humorum, dum urgentur, comminuantur, jugiterque adeò oscillent, ut in varios occursus veniant, commisceantur, atque turbentur itemque ut machinulæ fibrarum violentur, contrahantur, & distrahantur; ac propterea ignis priùs delitescens liberè agat, se seque trudat intra liquidorum semina, sed intra ea diu non sistat, at quasi fluens, & refluens erodat, ac veluti comburat; quin imò dum præterfluit, adinstar tot cuneolorum, quot sunt ejus particulæ, removeat à contactu quicquid priùs cohærebat; sed quum quod dicitur de fibris, in universum dici debeat de Utero, & partibus

Ge-

Generationi dicatis, nec non de insonti indole humoris replentis Ovum, cujus primordia vi agitati ignis illicò penetrantur, omnique utili, ac superfluo fluore privantur; quo fit, ut non solùm Generationis organa æstuent, verùm etiam humores resolvantur, aut coalescant, quare universi canales suo jam liquido pleni quodammodò inanes fiunt, corpus arescit, & fæcunditas perit. *Vis agitati ignis.*

Si igitur quæ deplent nimis cavitates steriles reddunt Mulieres, idem è converso præstare potecrunt humores plùs justo canales replentes; nam ingluvies plenitudinem faciens, & obesitas igniculos humoribus intermixtos, atque circumfusos vel retundunt, aut indebitè retardant; ideoque vis contractionum hebescit, & fluida tardè fluunt; quæ proindè obstent oportet influxui tentantis liquidi nervorum, cujus causa fibræ universæ, & præsertim illæ, quæ Uterum, Tubas, Vaginam, &c. componunt, ita infarciuntur, atque fædantur, ut concinnam unionem minimè conservent; ac proindè motum, sensum, cæterasque naturæ facultates depravent. Quamobrem rationi consonum videtur, humorum moleculas tunc in Ovis congestas circumprimi, fieri inæquales, adaugeri, & turbari; ideoque Ova, eorum Capreolos, Tubarum frenulos, atque vasorum premi, & cumulari adipe, lympha, aliisque liquidis, ita ut nec Ova facilè præterfluant, nec in Uterum derivent, nec sensum, nec motum Generationi respondentem partes memoratæ eliciant. *Ingluvies, & obesitas nimia.*

Jam verò ut Antecedentibus finem imponam,

con-

consulamque Conjunctis, & priùs affectionibus illis, quæ contexturam Uteri, & partium circumobsidentium lædunt; consentaneum est putare in omni fibræ, ac villi Uteri distractione intercipi distantiam inter terminos singularum partium, atque adeò inter earum spatiola derivare, & consistere aliquid lymphæ, vel alterius indolis producens non solùm æstum, sed omnem inanitatem replens, & quamlibet resistentiam superans; unde quantò majores fient distantiæ distractarum machinularum, tantò minores evadunt vires, & resistentiæ, quarum defectu replentur quæcunque longitudinis vasa, dummodò momentum, quo repletioni resistunt, fiat minus momento, quo fluida defluunt; hinc fibræ quasi spongiolæ, fœdo humore imbibitæ, secretionibus carent. Dico igitur in Utero, & partibus proximis aliquandò contineri quicquid læsionis est, aut esse potest in arteriis, venis, vasculisque lymphæ, quicquid esse potest in fibris, glandulis, & membranis, imò quicquid vitii insinuari potest in fabrica musculorum, atque nervorum; adde quicquid agglomeratur in glomerulis glandularum, Uteri, & Vaginæ, quicquid crispaturæ, laxitatis, atque Aneurismatis in vasculis reperiri potest; adde demum quicquid tollit resistentiam, debitam figuram, connisum, & contactum, & alia, quæ Utero, ejusque fæcunditati sunt necessaria.

Si lympha consistit, vel humor cujuscunque indolis

Ut igitur Uterus sit fæcundus, ejus fibræ, & villi, vasa, nervi, & glandulæ donentur oportet congruenti liquidorum copia, proportionali motu, contractione videlicet naturali, & quandoque etiam

Quæ congruunt fæcunditati.

etiam ſuperaddita, ea ſcilicet, qua fit, ut ejus muſculares membranæ, vaſaque univerſa arctiùs tendantur, premantur, validèque circumprimantur, ac propterea ſe ſe quaquaverſum excutiant; imò ut villorum, ac fibrarum moleculæ naturali fœdere conjunctæ ſolvantur, evadantque majoris, vel minoris longitudinìs, atque latitudinis abſque ulla dilaniatione, ſciſſura, ac divulſione, indèque ut invicem coeant, mutuoque gaudeant conſenſu. Sed poſtquam hæc omnia diſtracta ſunt per vim contractionis ſuperadditæ reſtituantur neceſſe eſt in naturalem longitudinem, latitudinem, figuram, terminum, & unionem; quod quidem non conſequitur natura, dummodo Uterus non ditetur debita partium conformatione conducente hiſce motibus, alioquin Uterus malè conformatus divulſus, tumidus, ſive major, aut naturali minor factus, retinebit in ſinulis qua qua diſtributis per longitudinem villorum, & in eorum interjectis loculis aliquid alterans, retundens, aut reſtinguens caloris vim, ſive veriùs evertens tam momentum contractionis naturalis, quàm contactum, energiam, & figuram partium intrà, & extra Uterum exiſtentium; quod ſi contingat, motus vaſorum Uteri, & villorum contractilium erit compoſitus ex diſtractione per longitudinem, & contractione per longitudinem; qui quidem motus nititur invertere momentum contractionis naturalis cujuſcunque machinulæ aſtruentis Uterum, aut quamlibet aliam partem illi adſitam. Quare tempore Generationis fibræ agglutinatæ, ut Hipp. utar verbo de Natura Muliebri, villi divulſi *Fœcunditatem obliterant.*

obliqui, aut curvi magis fient rugosi, distracti, ac ferè cerei, & in suis spongiolis potiùs fœdo humore inquinati, quàm saturi; ac propterea nec aptum locum, nec proportionalem motum, neque fotum impertient illis Ovorum exordiis, quæ abire deberent in partes animalis, & in motum venire; tum quia hiatus vasorum satis non aperiuntur, tum quia singulæ partes non sunt eo ordine dispositæ, nec eodem modo perfectæ, uti decet, ita ut Ovi rudimenta non invertantur; nam dissoni motus, cæteraque superiùs indicata Utero, Ovariis, ac Ovis, tanquam igniario fomiti accendendo, ac veluti turbini excitando inserviunt.

Violatus motus, & instrumenta læsa.

Quotiescunque ergò Malpighii testimonio Consilio XC. de Sterilit. violantur motus leges, motuumque instrumenta, & præsertim Uteri, ac partium adjacentium, præpediantur necesse est Menses, vel si prodeunt sinè ordine, uti monet Hipp. de Muliebri Natura, aut pauci, vel pravi sunt, ex quo Morbo maximè steriles fiunt; nam combinatio minutissimarum particularum, quæ sunt in Ovo, adeò vitiantur, ne istæ Ovi activissimæ substantiæ se nimis aptè delineentur, vel si jam censentur in Ovo designatæ, ne vi spirituosi contactus satis solvantur, in motumque veniant; quod plerunque evincitur in Mulieribus affectis aliquo pudendi tumore, ulceribus, scirrho, Uteri procidentia, clausura primi sinus, aut cervicis, vel præternaturali tensione, laxitate, aut quacunque alia labe, atque concretione humorum tum in Utero, Ovis, & Ovariis, cùm in membrana musculari communi Tubæ Falloppii, nec

non

non vasculis vespertiliformibus, quorum labe improportionales fiunt motus; ideoque muscularis membrana haud potis est inservire Ovis loco infundibuli. Quocunque igitur modò memorata organa, aliaque Utero proxima plùs æquo [Mensibus non expulsis] quasi sarcina gravantur, vel circumpriinuntur Ova, atque Ovaria, facilè os infundibuli claudunt, imò Ovi membranam omnium tenuissimam scindunt, ac idcirco concinnatam combinationem rudimentorum Ovi singulari tèneritudine scatentium contaminant, ac perdunt; & quamvis tensiones, atque circumpressiones interdum non sint tanti momenti, ut omninò impervium reddant dictum infundibulum, tamen tensiones, concussiones, & circumpressiones Uteri adeò Ovum jactant, & Uterum urgent, ne Ovum ipsum Utero cohæreat, ne aptè consistat, ac idcircò ne donetur eo, quo decet partium ordine, fotu, ac perfectione; ne demum ovi inchoamenta etiam semine sparsa explicentur, & debitum motum sortiantur.

Quoniam ex hactenus expositis Uteri fæcunditas nihil aliud est, quàm quędam Ovi tyrocinia semine illustrata quodammodò invicem coalescere, sive veriùs plicata, atque mutuò implicata explicari, crescere, & venire in illas operationes, in quas nondum venerant, antequam per Generationem se mutuò tangerent, aut à primò recederent contactu, fædere, se seque explicarent; hinc videtur rationi consonum Uterum constare debere ex partibus mutuò operantibus, se seque placidè moventibus; secus autem si in Generatione contingat, ve- *Quid fæcunditas.*

Quæ semen infirmant. verisimile est substantiam seminis invenire rugas innumeras satis laxas, inæquales, & asperas, vel fibras callosas, nimisve inclinatas, sive contractas, uti de Sterilitate memoriæ mandavit Hipp.; imò est satis consentaneum credere varios dari occursus, variasque resistentias, quæ præpediunt liquidum agens, ne agat intra Ovum adhuc immaturum; imò si parva, aut minima fuerit Ovi moles, proindeque *Quæ Ovum. liquidum, & vasa præpediunt.* imperfecta, atque expers combinationis musivæ rudimentorum suorum, ac idcircò impotens congruentis æstus, ac virtutis, quæ sufficiat ad resistendum semini, & ad superandas resistentias vasculorum, ad disclusionem canalium, atque anfractuum remotionem; tandem ad directionem, certamque dimensionem, atque partium positionem, tunc nullo modo Ovum prosiliet è loculis, sinulisque suis; sed adinstar fructus ad maturitatem non perducti, procelloso aere jactati, arctè consistet, nec concidet, vel in similitudinem alicujus seminis plantarum, quod non germinat, dummodò non sit perfectum, debitaque maturitate donatum.

In tenella igitur ætate Uterus est valdè alligatus, & quaquaversum adinstar folliculi constri- *Ætas tenella.* ctus, cum vis, quæ pertinet ad canalium ejus disclusionem, sit imbecilla, & membranæ singulorum canalium ad contactum positæ sint valdè fœderatæ, nec se trahant ad oppositas partes illius amplitudinis, in quam venire possunt; & quamvis vasa sanguinis, quæ protrahuntur ad Uterum, & ad cæteras partes proximas, affigantur singulis canalibus, & intrà eorum fibras, atque cavitates hient; itemque aliqui cana-

canaliculi à canalibus majoribus memoratarum partium diducti hient in cavitatem arteriarum eo planè modo, quo extrema venarum lactis hiant in cavitatem intestinorum tenuium, tamen Uterus satis non discluditur, ut fœcundari possit; nam hæc Uteri fabrica congruentem canalium disclusionem non admittit, nec sortitur aptam liquidorum derivationem, nec eam vim, quæ conducit ad eorundem solutionem, ac separationem liquidi à liquido, nec quicquid attinet ad modum exprimendi, atque agendi intra canales suos per quamcunque longitudinem, atque plicaturam glandularum; nec postremò consequitur quicquid est naturalis motus conducentis ad Generationem, nec quicquid pertinet ad maturationem Ovi; & licet in tanta brevitate loci, ac parvitate molis ubique prestò sint resistentiæ, tamen illæ erunt minimæ, & superari facilè poterunt ante decimum quartum annum, vel paulò post per solam vim æstus, per solam vim liquidi nervorum, aut per solam exercitationem corporis, sive confricationem liquidi cum solido.

Transacto autem quadragesimo quinto, vel, quod plurimum est, quinquagesimo anno, partes omnes & præsertim Uteri si non sunt omnino laxæ, atque solutæ, saltem maxima ex parte fiunt ita ad solutionem dispositæ, ut nihil aliud supersit quàm languida quædam cohæsionis vis superabilis per quacunque irritationem, atque alluvionem lymphæ, per quamlibet pressionem, ac liquidorum congeriem infarcientem villos contractiles, per levem, modicamque privationem æstus, cujus causa fibræ, & villi vas-

Post annum quinquagesimum infecundæ fiunt mulieres.

vasculorum per Uterum repentium vim consuetam exercere nequeunt; vel quia illorum machinulæ nimis forsan laxæ sunt, inutilibusque humoribus subactæ, vel quia fluida vim promoventia eo, quo decet impetu, non fluunt per canales suos, nec ita pura, nec in tanta copia regenerantur, ut partes cunctas scitissimè illustrent; vel demum quia humores igne vacui quodammodo congelascunt, ideoque contaminant, adeòque vitiant Ova, ac filamenta fibrarum Uteri, Testium, Tubarum, &c. ut nequeant depellere Ova ipsa è suis sinulis, neque exprimere liquidum à liquido, & propria secernicula eliminare supervacanea; quò igitur major fuerit laxitas, & impuritas liquidorum, eò major fiet deformitas cutis, partium languor, & Sterilitas Uteri.

Morbi acuti, & tabes in fecunditatem generant. Sæpè numero Sterilitas insurgit post acutos Morbos, præsertim si ita contabescit Uteri textura, ac totius corporis, ut omnium villorum machinulæ aridæ, raræ, inanes, laxæ, atque exsuccæ fiant; ac proindè ita extenuatæ, & adinvicem disjunctæ, ut filamenta, stamina vasorum, & membranarum Uteri nectantur adinstar lanæ, gosipii, vel indistentæ aranearum telæ; quocirca singulæ fibræ, ac membranæ Uteri, Vaginæ, Glandularum, Testium, Tubarum Falloppii, atque Ovorum evadunt rugosæ, friabiles, flaccidæ, ac dissolutioni abnoxiæ; imò adeò inertes fiunt vires horum organorum, ut resistentiæ, & vires invicem non respondeant, ac propterea nullius prope momenti sint ad Generationis opus peragendum.

Solvitur interdum vi Morbi liquidorum mistio, or-

ordo ſcilicet, cohæſio, ac ſolidarum machinularum figura & unio, adeòque turbatur tenue, craſſum, lentum, molle, atque durum, ut omnino alterentur humores, eorumve motus, & quandoque etiam invertantur ſuperficies contexturæ, & muſivus ordo machinularum totius corporis, nec ſolùm aliquando humorum vitio, acredine, ac ſalacitate fibræ, & villi flacceſcunt, ſed oſſa etiam mollia, ac veluti cerea evadunt; imò tam variè pervertuntur combinationes, & mutuæ miſtiones fluidorum, ut non rarò fibræ ſummo lentore, atque tartaro imbutæ oſſeæ quodammodo videantur; ac propterea oſſa ipſa adeò areant, ut adinſtar vitri facilè confringantur, quo tempore partes Generationi dicatæ non donantur apta temperatura, certa humorum copia, activiſſimis ſuccis, aliiſque conditionibus ad opus fæcunditatis ſecundum naturam exercendum neceſſariis.

Irrunt quandòque tempore morbi humores, ac ſpiritus tumultuoſi in Uterum, ejuſque ſingulas partes, tum proximas, cùm remotas penetrant, ac veluti repetito fluxu, & refluxu perterebrant, ac elimant, ideoque fibras, & villos infirmant, atque ita extenuant, & exſiccant, ut per conſueta Uteri ſecernicula inutiles humores non abſcedant, ſed exareſcant, & humores abſorbeantur, ac deficiant non ſecus ac rivuli ex pluriarum penuria. *Humores, & ſpiritus tumultuoſi.*

Depauperatis verò nervorum ſuccis langueſcit omnis motus, fluxus, & refluxus intercipitur, ideoque vaſa nec ſatis contrahuntur, nec diſtrahuntur; & quò magis privantur debita ſpirituum qnantitate, eò magis à præterlabente ſero, atque lympha acris na- *Depauperatio ſucci nervoſi.*

naturæ eroduntur, & laxantur; quarè sub tanta vitiosi humoris gravitate, filamenta, villi, & tiliæ, earumque moleculæ lympha, aliisque impuris humoribus saturæ, ac distentæ vim patiuntur nunc tensione, nunc pressione, atque circumpressione; ac idcircò nec moventur, nec covantur ea vi, quæ est necessaria, ut inutilium aggeries in vasculis contenta, atque inanitatibus interjectis Testium, Tubarum, cæterarumque partium sibi viam patefaciat, unàque Ova fæcundari possint.

Mutatio liquidorum & fabricæ Uteri.

Mutanda item est fabrica fibrarum Uteri per affluxum sanguinis, lymphæ, Fluoris albi, aut humoris saniosi; imò permutetur oportet paulatim contractionum ratio in singulis fibris, & vasculis ibi consertis, quum per memoratas contractiones, & distractiones etiam superadditas nec scitè constringuntur cribra, neque aptè occluduntur ductus serpentes per Uterum, Vaginam, Urethram, & per totum meatum urinæ; ideoque in villos majores, atque minores, illorumque inanitates nec satis constrictas, nec ritè occlusas minimè insinuari possunt spiritus, & sanguis; qui licèt nitantur influere in quamlibet fibram, tamen liberè influere nequeunt, impediente nunc laxitate fibrarum, nunc humorum sarcina, & plenitudine, nunc constipatione pororum, nunc maceratione filamentorum: hæc enim omnia, ac singula obstant devolutioni humorum, & in jugi distractione detinent quicquid ad Uterum spectat, imò hujusmodi distractio ulteriùs occludit emissaria nervorum, quorum ope præpediuntur villi contractiles, ne urgeant humores, neque eos in vasculis re-

retineant; per totum igitur tempus, quo partes Uteri erosione, vasorumque non exigua laxitate laborant, infarciuntur & conspurcantur tetris liquoribus, qui sunt in causa, ut spiritus parùm vel nihil influant, aut influere frustrà nitantur, ut sanguis, aliique humores eo, quo decet, motu nec Uterum, nec Testes foveant, sed potiùs mutent naturalem indolem, assiduè secernantur, & eliminentur, ac propterea Sterilitatem inducant.

Quotiescunque igitur humores carent debita mistione, qua respondere debent partibus singulis, & præsertim machinæ Uteri, contaminetur oportet succus nervorum, simulque turbetur proportionalis motus, resistentia fibrarum, earundem connisus, & consensus innumerabilium propè molecularum, quibus omnibus eget natura Generationi studens: quò magis ergò Mulierum corpora impuris humoribus gravantur, eò magis inficiuntur, ac dissolvuntur filamenta, & quò abundantiùs fluunt hujusmodi liquida, eò copiosiùs circumsepiunt villos, tilias, & solidas moleculas; ac propterea ad instar glutinis, vel pigmenti adhærent lateritiis partibus vasorum, imò hìc in rugis, atque plicaturis, in porulis, ac intestinis inanitatibus coalescunt, illuc glomeres dissolvunt, & proluunt, alibi lacunas laxant, easque lympha refertissimas reddunt, ita ut Uterus, Vagina, Testes, & Tubæ, &c. alluantur, ac veluti macerentur, ideoque Mulieres infecundæ fiant; quod etiam Hipp. sancivit de aere, aquis, & locis his verbis, *Ut plurimum Mulieres fiunt steriles, quia nimis sunt humidæ:* nonnunquam verò tam torpido, densoque Utero sca-

 tent

tent Mulieres, tantaque vaſorum anguſtia, & ſanguinis Menſtrui tam pauca copia ditantur, ut facilè villi, & fibræ referciantur hac impuritate, ac veluti filamenta congelaſcant, atque ſemen reſtinguant; quod evidentur evincitur in terra paluſtri, ac gelida, in qua ſi germina inundantur, diuque frigore denſantur, moriuntur.

Vitium liquidorum, & laxitas partium. Quò diutiùs itaque liquidorum vitio vaſa per Uterum protenſa laxantur, ac præterlabentibus humoribus ſalſæ, & acidæ naturæ eroduntur, eò faciliùs Mulieres fiunt ſteriles; nam ex omnibus vaſculis raris & quodammodò dilaniatis, quaſi ex totidem ſecerniculis abſcedunt humores variæ indolis, qui cum ſcateant irritantibus ſeminibus facilè elimant, & abradunt membranas, vaſorumque oſcilla, & potiſſimùm emiſſaria glandularum dilatant; ideoque glandulas, & lacunas exſiccant, unàque totum Uterum, & partes ei adſitas debito humore privant; ex quo fit, ut fibræ motu, & ſenſu donatæ langueſcant, ideoque præpediantur, ne ulteriùs potiri valeant eo contactu, ac relatione virium, uti poſtulat operoſum opus Generationis.

Obſtructio laxitas, & alluvio. Si verò univerſa Mulierum fabrica, quæ conſtat innumeris inſtrumentis perviis, mutuò fœderatis, & adinvicem agentibus, obturetur, ac ſtipetur ſuperflua humorum copia; ſi Uterus, ejuſque proximæ partes, quæ debent certa, ac ſtatuta quantitate ſanguinis foveri, & reparari, alluatur, & quadam veluti humorum lacuna quaqua obſideatur, ut contingit Anaſarca laborantibus, &c.; ſi denique Uterus, qui tot motus, totque ſenſationes vi fluidi, & ſolidi viciſſim agentis, & patientis debet exercere, incidat

in nimiam laxitatem, & plenitudinem, nulla operatio erit integra, nulla facultas, nulla vis, nullus motus erit inoffenſus; nam fibræ contexentes Uteri vaſa deſtituantur oportet vi contractionis, & diſtractionis naturalis, cujus privatione lenteſcunt humores, qui proindè obſtructiones, & maxima inquinamenta pariunt; ex quibus fit, ut ſpiritus vitioſi regenerentur, ut vires, cohæſiones, figuræ motus, & reſiſtentiæ in opere Generationis ſibi aptè nequeant reſpondere.

Ex allatis ſatis percipitur fluida cuncta in diverſa ætate, temperie, habitudine, & anni tempore multifariam commiſceri, varia ſemper vi adinvicem agere, copulari, & diſſolvi juxta diverſum contractionum, diſtractionum, atque preſſionum momentum, juxta diverſitatem principiorum, vaſculorum, atque cribrorum figuram, nec non agendi ritum cujuſcunque partis; deducitur ulteriùs ſanguinem magna ſeri copia imbutum inæqualiter Uterum, cæteraſque partes ei adſitas madefacere, ac magis, vel minùs infarcire ſingulas villorum machinulas, illiſque vires, & reſiſtentias majores, aut minores gravitatem, inertiam, ac hebetudinem impertiri; ex quibus fit, ut motus liquidorum præſertim in opimis corporibus retardetur; ut ignis, & aliæ particulæ activiores etiam nervos accolentes retundantur oleoſis, atque adipoſis fluidis, ut fibræ os Uteri adſtruentes, aliæque in toto abdomine conſertæ ſupra vim propriam pinguedine gravatæ quodammodò concidant; ut tandèm villi Tubarum, Teſtium, & Uteri irretiantur, & hebetentur, ac idcirco motum, *Sanguis nimis ſero imbutus, pinguedo.*

& sensum vires, & facultates fæcunditati congruentes non exerceant.

Alia item corpora gracilia igne, & sale nimis referta, naturaliter laxa, mollia, & nullius ferè resistentiæ, dum tempore præsertim æstus in qualibet pressione immodicè laxantur, atque debita resistentia, & necessaria humiditate privantur, illicò emolliantur oportet adinstar ceræ, quæ cito calore funditur, vel in similitudinem chartæ bibulæ, aut telæ rari subtegminis, & consumptæ, quæ si madeant quocunque modo tentantur, premuntur, vel contorquentur, aquam facilè evomunt, & contexturam discindunt; sic organa Generationis Mulierum rara, & laxa mutant facillimè in congressu contactum, se seque prorsus emolliunt, ideoque vires, atque uniones Generationi congruas nequeunt servare, easque ita exerere, ut separationes, ac percussiones, sive contactuum vires conveniant fertilitati; nam membranæ, fibræ, nervi, & villi cujuscunque partis, existentis intrà, & extra Uterum ita à suo fædere solvuntur, ut in modum gossipii dissoluti, & aqua calida madidi aliam figuram, contactum, & terminum nanciscantur; ideoque in interjectis spatiolis, atque inanitatibus intestinis irretiatur, inquinetur, aut tumuletur semen ejaculatum.

Febrilis porrò calor quàcunque agitans Mulieres officit naturali rerum ordini, nunc concitando liquida, nunc irritando membranas canalium, nunc contrahendo, & ustulando plùs æquo fibras, quæ cùm ad Uterum, tum ad alias partes Generationi inservientes attinent, ut accidit chordis musicis, quæ diu calore tentatæ con-

Febris.

tra-

trahuntur, valdèque abbreviantur,& arefcunt vi ignis concitati corpora Mulierum; & quò magis ficcitate contabefcunt, eò majores fubeunt mutationes, ac læduntur Generationis organa, cum non modo impuro fanguine, fale, igneque refertiffimo affundantur; fed quandoque etiam tartari coacervatione & infarctu ita contaminentur, ut hìc in cruftulas, illic in fquamulas, atque fcabiei fuligines faceffant. Quarè Ova jam depleta inania, ac veluti à fubjectis partibus divulfa apparent, & quamvis fedula indagine in tabe confumptis, ac marafmode enecatis perquirantur, nihilominùs præ molis parvitate, inedia, atque ficcitate vix oculis obverfantur, & fenfum fugiunt.

Adnotatione hìc dignum eft, vim caloris exagitati fe fe opponere calori feminis, ac illius tyrocinia perdere, cum vis diffufionis feminis, & motus acceleratus omnium vaforum, nec ab æqualibus viribus, nec ab æqualibus velocitatibus progignantur; fed unus, & alter viciffim turbantur; & quamvis memorati motus non obliterentur, faltem omninò invertuntur non folùm caufa difcriminis, quod latet inter motus, vires, directiones, & velocitates, verùm etiam propter momentum caloris naturalis, ac præternaturalis, vel propter differentiam liquidorum, ac eorundem molecularum æftum. Quamobrem fpirituofa fubftantia liquoris feminalis ad contactum Uteri febrili calore concuffi in medio tot corpufculorum perfpirabilium, totque effluviorum, quafi in medio fumi, hoc eft ignis impuri, refolvitur in auras, non fecùs ac fi fupra laminam *Vis concitati caloris.*

can-

candentem laberetur, seu, quod est idem, non secus ac, si supra vaporarium aquæ ebullientis corrueret; hinc ætherea seminis substantia nec ad Ovi contactum, nec ad fæcunditatis illustrationem ea, qua par est, percussionis vi pervenire potest.

Juxta communia ferè Doctorum vota illæ Mulieres planè recensentur steriles, quæ etsi uno, aut pluribus utantur, & quandoque etiam opportunis remediis adjuventur, nunquam tamen concipiunt. Aliæ verò, licèt uni Viro conjunctæ, non concipiant, fæcundæ tamen evadunt cum alio; nonnullæ autem aliæ ob aliquem Uteri affectum se diu steriles demonstrant, quo curato evadunt fæcundæ. Aliæ demum, etsi semel in Utero jam habuerint, indèque ob contractum vitium in partu fœtum non procreant ulteriùs, uti evenire solet in detentione secundinæ, & in lochiis non expulsis; quorum causa Uterus facilè divellitur à suis partibus, quæ imbuuntur saniosis, putridis, ac tetris humoribus, quorum vitiosæ particulæ, singulam inanitatem fibrarum, vasculorum oscilla in partu excoriata, & soluta commeant, nervos obsident, fibras, & filamenta irritant, ac quodammodò macerant; imò totius contexturæ Uteri, & partium adsitarum machinulas ita removent à proprio termino, ut Tubas exsolvant, vel nimis constringant, ideoque Uterum impervium, aut forsan nimis laxum reddant, ac idcircò fertilitate privent Mulieres.

Vitium Uteri in partu aquisitum, detentio secundinæ & lochiorum.

Nec minorem aliquandò noxam ferunt medicamenta purgantia, quorum abusus magis, vel minùs convellit, laxat, fibrasque elimat, & non rarò

Medicamentorum abusus.

eas

eas naturali privat humore, quinimò aliorum etiam medicamentorum improba administratio majorem, vel minorem æstum impertit, interturbationem virium, relationum, atque vicisitudinum latentium inter fluida, & fluida, unàque inter solida, & solida, vel inter solida, & fluida progignit. Tandem, quod non minimum est, alia remediorum genera adeò corpus eliquant, vires extenuant, caput hebetant, nervos, Uterum, Ova, ac Ovaria ita alterant, ut debitam partium simetriam permutent; proindeque motus, & sensus fœcunditati respondentes novo combinationis contactu machinularum, novoque fluxu, & refluxu, demùm alia mistione liquidorum deturbant, & invertunt.

Præsens hæc nostra tractatio rationem postulat Sterilitatis emanantis ab Utero semen respuente, quam Hipp. breviloquio enucleavit lib. de Steril., eamque reposuit in nimia laxitate, & in sect.5. Sententiarum aliter rem his verbis exposuit; quæ præternaturam crassæ non concipiunt, iis os Uteri, ab omento comprimitur, & priusquàm extenuentur, non concipiunt. Viri autem gravissimi, inter quos Roderic. à Castro, Primerosius, Wedelius Waldschimd., Mauriceau., Platerus, Bonet., Veslingius, &c. hoc fieri posse affirmant à quamplurimis causis non naturalibus, & præternaturalibus, uti ex supra allatis, & ex paucis hìc infra dicendis benè infertur; nam vasa, quæ per Uteri, ac Vaginæ texturam sparguntur, inflantur, & fiunt duplo, vel triplo majora, imò suis tortuosis anfractibus evadunt adeò tumida, ut inter fibras, & rugas colli Ute-

Uterus semen respuens, obesitas, vasaque tumida.

Uteri, atque Vaginæ hydatides diversæ magnitudinis repræsentent; imò ita implentur vasa, ut plùs æquo laxentur, in eisque Polypi progignantur, ac idcircò humores in his vasculis consistentes in callosam quasi substantiam degenerent, & sterilitatem inducant.

Vitium virilis seminis. Vitio virilis seminis sæpè Mulieres creduntur steriles, quandoquidem illius substantia impuris humoribus valde diluta, atque fœdata etsi in Uterum benè temperatum injicitur, languescentes, ac fere restrinctas ignis particulas, quas secum trahit, per Tubas ab Utero ad Testes, & Ova in illis contenta diffundere nequit; vel si defluit ad Testes ea vi percussionis, quæ congruit fæcunditati, Ova ipsa non pertingit, nec tantum momenti in Testibus exercet, quantum fas est, ut Ova suis involucris, & capreolis contenta excidant è sinulis suis, ac proinde excipiantur ab infundibulis extremitatum Tubarum, atque insinuentur in Uterum.

Virile semen calidissimum. Non rarò autem inchoamenta seminis virilis igne cumulatissima ita dilatant torpida Tubarum principia ab Utero protensa, ut nimis pervia fiant, vel ea quodammodò crement, aut adinstar membranæ, quæ igne tentatur, nimis crispentur; quo tempore ductus Tubarum, veluti Capreoli pluries contorti, ac circa Testes variè implicati, & in fimbrias divisi, sive veriùs in multiplices crispaturas inæqualiter efformati clauduntur; quinimò, furente etiam libidine, vascula per Uterum, Tubas, ac Testes repentia, itemque singulæ membranæ variis aqualiculis ditatæ illic majori affluxu sanguinis, huc ma-

majori, quàm decet, lymphæ copia tument, quaquaversum urgent, premunt, ac propterea Ovi ductus omninò claudunt:

Verùm si semen virile tanto igne refertum corrugat, vel laxat Tubarum protensiones, si eadem ignis vi superat resistentias, & occursus; si inquam, permeat dictas Tubas, & Ova penetrat, non poterit quin ustulet Ovorum membranas omni teneritudine donatas, Ovorumque minima componentia elixet, ac idcircò Ova subventanea reddat.

Meum hìc non est innumeras, penè dixerim, recolere virilis seminis labes, quarum unaquæque ita agit, ut Masculi semen haud congruat Utero, ejusque finitimis partibus, nec non Ovorum tirociniis; nec mea refert Conjugatorum malam temperaturam, vel dissimilem, aut nullo modo respondentem, sive adinvicem oppositam humorum indolem hìc refricare, nec morum, naturæ, atque Animarum dissonantiam in medium ponere, cum de singulis istis verba fecerint Rodius, Ballonius, Spigelius, Pineus, Van-Hornes, &c.; mea tantùm interest coronidis loco affirmare, ea Sterilitatem ferre, quæ proportionem in qualibet Uteri, & adjacentium organorum parte non servant; quod utique evenit, quotiescunque causæ motuum, atque sensationum, imò contactuum, sibi vicissim non respondent, seu veriùs quoties vires, & figuræ memoratarum partium non congruunt unioni, atque mixtioni, nec mixtio unioni, nec unio mixtioni: si igitur naturæ modum excedant tensiones, & laxitates, secretiones, aut detentiones inutilium li-

Quæ proportionem tollunt.

 qui-

quidorum, pervertantur oportet Uterus, Tubæ, Ova, & Ovaria, imò machinulæ solidorum, & componentia fluidorum, depraventur necesse est vicissitudines, & relationes, motus, & mixtiones, quæ fieri debent in Utero, atque Ovis pro inoffenso opere Generationis peragendo.

Quæ conferunt fertilitati. Ad promovendam igitur Uteri fertilitatem summoperè conferunt apta seminum, ac animorum concordia, universæ temperiei, atque ætatis mutatio, unàque remotio abusus rerum non naturalium: fæcunditati item congruunt indicationes respicientes ea, quæ Utero recensentur præternaturalia, aut quæ universo corpori, unive partium ejus aversantur. Quarè Mulieres plurimùm tenues, & extenuatæ reficiendæ, pingues macerandæ, calidæ refrigerandæ, & nimis frigidæ modicè sunt calefaciendæ.

Curatio. Præmissis ergò universalibus, locum habent serositates caprillæ chalybeatæ, balnea, usus aquarum Agri Lucensis, Nuceriæ, &c. item lactis usus, aquæ hordei, jurisque cum hordei farina: sedulò verò cogitet Medicinam faciens de restituenda firmitudine fibris Uteri, de temperie optima fluidis restituenda, de amicabili animorum reciprocatione; uno verbo de inoffensa administratione rerum non naturalium, ut harum omnium auxilio fæcundentur Mulieres. Hæc, & alia præscripsere viri in praxi facienda exercitatissimi, & præ cæteris Marcellus Malpighius Mædicorum facilè Princeps in Consilio de Sterilitate, &c.

CA-

CAPUT VIII.

De Gonorrhœa.

QUoniam Gonorrhœa, excretio ſcilicet craſſiuſculi, & albidi liquoris, ſivè alterius noxii coloris erumpit ex Proſtatis, vel glandulis circa urethram poſitis, aut ex lacunis, vel ductibus hiantibus per totum meatum urinarium; & potiſſimùm in ejus extremitate, cum virium languore, moleſto ſenſu lumborum, atque oſſis ſacri; præſeferre videtur priùs ſolutionem, ſive laxitatem vaſculorum totius membranæ nervoſæ cingentis urethram, univerſumque meatum urinarium, indè eroſionem, & vitium partium proximarum.

Hoc Morbo ſæpe laborant Mulieres nimia preſſione, nimiavè ignis & ſalis copia gravatæ, quorum ſecretione peracta, ceſſet oportet Morbus; at tempore, quo maximè vigent ſalaciſſimæ lymphæ, & ſeri particulæ igne ſaturæ, interque minima ſanguinis interceptæ, ne dum ea diſſolvunt, ſed veluti rotæ ea atterunt, vel adinſtar materiæ unctuoſæ, & facilè fluxilis commoditatem eis præſtant, ut poſſint excurrere, agitari adinvicem, atque adeò intermiſceri; ut lutulentam quaſi craſſitiem, & lubricitatem cum exitu ſortiantur. *Calidi humores & ſalſi.*

Ab inteſtina itaque erodentis lymphæ, aliorumrumque liquidorum agitatione majorem fluxilitatem impertiente, à perpetuis ictibus, exercitationibus, atque impulſibus ſpirituum vaſa luſtrantium, *Humorum agitatio Gonorrhœã produut.*

 diſ-

dispergi constat minutissimas salium particulas, easque item transferri ad loca etiam remotissima, & vi, qua perpetuo urgentur, & circumprimuntur, imò propriæ gravitatis momento ita insinuantur intrà ductus, poros, inanitatesque urethræ, & totius meatus urinarii, ut spontè effluant.

Sortiuntur igitur nimis calidæ Mulieres humores superandis vasorum resistentiis apprimè idoneos, quorum indoles, & energia ita vascula Prostatarum, & glandularum urethræ; ita membranam meatus urinarii poros, cribra, villos, atque stamina membranarum ad contactum posita irritat, & trahit in diversa latera, eaque ita à mutuo contactu removet, ut interjecta cribra, & coeuntium vasorum oscilla discludat; verùm si eodem tempore, quo hæc disclusio peragitur, eadem discluditur, discludetur certè canalis, & cumulabitur novo semper confluente humore, foràsque stillatim ejicietur. Ex his jam intelligitur arterias, venas, nervos, vasaque lymphæ, uno verbo, vasa ab hæmorrhoidibus, atque hypogastricis progenita, itemque ad Uterum, Vaginam, Renes, Testes, Uretram, &c. protensa ob quamlibet luxuriantiumh umorum pruriginem, ob impulsum, & violentiam intrà, & extra eorum cavitatem illatam adeò laxari lacunas, poros, & villos vasculorum, ut quacunque diducti canales hient, eo planè modo, quo hiant extrema venarum, si discindantur: fiet igitur in hac rara, maximè pervia, & implicatissima fabrica non solùm disclusio canalium, & cribrorum dilatatio, nec solùm, inquam, omnigenorum liquidorum confluxus, sed quicquid est insuper in-

Vasorum laxitas, & disclusio.

tra

trà lacunas, & vasorum myriadem, unàque quicquid spectat ad solutionem, ac separationem liquidi à liquido, atque ulteriùs quicquid pertinet ad agendi vim, nervorum contactum, & sensus dulcedinem omnium villorum astruentium canales cujuscunque longitudinis, & protensionis.

In actione autem sensuum constat, voluptuosas species ab externis objectis advenientes communicari per nervos ad cerebrum, hoc est ab extremis propaginibus, sive papillis nervorum ad eorum principia; & è contra ea forsan ratione, qua fit in fidibus variè tentatis, quæ illicò tremorem concipiunt, & ab uno ad alium terminum ille diffunditur; quod idem prorsus contingat oportet contento liquido nervorum, cujus substantia, si eodem undarum tenore fluat per nervos tam ad Uterum, quàm ad alias partes protensos, eodem ipso tenore diffunditur, & communicatur à sensuum organis Utero, Vaginæ, ac cerebro; & à cerebro iterum petit ad Vaginam, Uterum, aliasque finitimas illius partes. Quare hnjusmodi reciprocus motus alterius undis persolutus oppositas urget, & premit nervorum extremitates, non secus ac, si hæ concuterentur, nimisque impuris speciebus, aut instrumentis uterentur contra honestatis mores excogitatis; & quamvis ob tot ictuum frequentiam, & exercitationum, ac motuum celeritatem non distinguantur sensationes, sed potiùs mutuò obscurentur, possunt nihilominus in tanta spirituum mobilitate, atque ictuum repetione fibræ, villi, minimi ductus, inanesque spongiolæ succo spirituoso, at-

Species voluptuosæ quo modo agunt.

atque luxuriante turgidæ adeò vellicari, confricari, jactari, & dehiſcere, ut ab horum omnium emiſſariis, & oſcillis exprimantur, ac depromantur guttæ ſalſæ, ac ſulphureæ lymphæ innumeros promoventis motus, & quandoque etiam excoriantis tum meatum urinæ, tum alias Pudendi partes.

Torpor organorum, eorumque laxitas.

Verùm ſi motus memoratarum partium exquiſitiſſimo ſenſu præditarum, quas nervorum ſtamina pertingunt, & fulciunt, aliquandò ita torpeſcant, ut ſatis excitare nequeant colluviem liquidorum, quibus Uteri organa infarciuntur, inquinantur, & tument; ideoque ignis ſopitas particulas, ac veluti, conſepultas, ſive reſtinctas nec liberare, nec adeò refricare, ut iitæ rectè agant in ſolidum, & fluidum etiam minùs iners, maximè involutum, aliiſque humoribus implicatum; ac propterea contenta liquida, nec naturaliter permiſta, nec adeò ſatis agitata reddant, ut imminuant cohæſiones à ſuperficie canalium, nec ſibi viam parent prò exitu, uti videre eſt in arcu tenſo, qui ſagittam non excutit, ſed hoc tantum molitur, cum ſubitò laxatur; ſic concretiones ſalſæ, & ſulphureæ mutuò irretitæ, atque malè permixtæ, nec calidæ, nec igneæ ſunt, donec inexſolutæ, & nimis compreſsæ manent; verùm dum exſolvuntur, ſi ſunt arcui tenſo ſimiles, illico diffunduntur, luxuriantes fiunt, & æſtuant. Tunc porrò vaſorum fibræ, glandulæ, lacunæ, villi, & membranæ Uteri, Vaginæ, Uretræ, Proſtatarum, atque mæatus urinarii, etſi humoribus imbuuntur, atque aculeis ſalinis tentantur, paulatim tamen, pręſertim in Juvenibus, machinulæ cujuſcunque partis, atque tex-

texturæ ab interjectis particulis ſalis, & ignis ſolicitari incipiunt, ac repetitis ſtimulis nunc adinvicem jactantur, nunc tenduntur; imò ita urgent, agitant, & quandoque ſub contractionum prælo ponunt contentum liquidum, ſive humorem quaqua circumfuſum, ut facilè elimentur moleculæ vaſorum, ac veluti perterebrentur; ac idcircò aliquid ſalacis humoris ab interjectis machinularum ſpatiolis, veluti ex tot cribris guttatim effluat; nam irritatæ canalium fibræ tam propria, quàm adaucta contractionum vi ducunt introrſum canales, & trudunt majori impetu extrorſum humores; ſi igitur, ut aſſerebam, moventur paulatim inertes humores ſale, & igne cumulatiſſimi, & in Utero, ac in partibus proximis, earumque loculis congeſti; ſi indè ſolicitè, uti decet, fibræ ductus, & glandulæ impuris humoribus imbibitæ moventur, concutiuntur, & quodammodò divelluntur, ſtimuletur item oportet tota nervorum ſubſtantia in Utero, & partibus adjacentibus extenſa; ita ut poſt repetitos motus ab eorum forſan emiſſariis erurctentur aliquæ guttæ agitati ſucci intra villorum inſertiones, cujus vi excitentur contractiones ſuperadditæ, tremores, & convulſiones, quæ etiam atque etiam humores alluentes atterunt, poros laxant, eoſque dejiciunt adinſtar fluoris, vel ſalſæ lymphæ, emulantis naturam Gonorrhoeæ.

Ignis, & ſalis particulæ ſtimulant: & jactant organa.

Adnotatione dignum eſt, humores hujus indolis nunc placido, nunc valdè moleſto ſenſu ex ductibus proſilire, tum Clitoridis, Urethræ, & totius meatus urinæ, tum nervoſæ tunicæ, & glandularum Vaginæ pro ut Mulieres afficiuntur majori, vel minori

Humores ſalſi laxant vaſa, foràſque erumpunt.

ri laxitate vasculorum excurrentium per dictas partes, vel quatenus majori, vel minori cumulo scatent liquidorum unius, vel alterius temperaturæ, seu veriùs, pro ut irritaminibus variis impudenter utuntur; sales etenim quandòque humoribus foventibus Uterum circumspersi, inanitatibus æquè, ac igniculis refertissimi si miscentur, & demerguntur sero, ac lympha, facilè dissolvuntur, & minima ignis è carceribus salium liberant; penetrant idcircò, & dispergunt salium porositates, redduntque universam lympham nimis salsam, & acidam, valdèque agitatam, & fluxilem, quæ proindè vasa commeat, penetrat, & supra membranarum resistentiam dissolvit, ac foràs emergit: hoc non obscurè liquet in exiguis calcinati saxi porositatibus tegentibus innumeras particulas ignis, quæ dum calx in vase continetur, & ab aquæ pondere, & fluxili ejus copia in libertatem vindicantur, dissolvuntur nimirum priùs particulæ calcis, seu,quod in idem recidit,laxantur vincula igniculorum, quibus patefactis egrediuntur minima ignis, expromuntur scilicet, ac nativo aquæ pondere sursum per eam cum magna agitatione ascendunt, & in hoc ignis transitu ita concitantur, & concutiuntur particulæ aquæ, ut ebulliant, tumescant, & extra vas erumpant.

Addendum hoc in loco est multa, & quidem noxia adnasci Clitoridi, Vaginæ, Urethræ, glandulis, universæque longitudinis canalibus; nam salsi, & calidi humores variè, diu, & celeriter per varicosos ductus diffluentes, proindeque alii quocunque diffusi, sive circumfusi, atque consistentes in spongio-

lis

lis cujuſcunque fibræ, & in loculis, cujuſcunque membranæ raræ, & laxæ texturæ, ita agglutinantur, & præſertim in ſpongioſa raritate Clitoridis quaſi concreſcunt, ut arteriæ, venæ, nervi, & ductus lymphæ mirè implicati aliquantulùm areſcant, ac mutuò ferè nexu coagmententur; ac idcircò huc duritiem, & inæqualitatem, illuc glandularum tumorem, alibi puſtulas, exulcerationes, foveolas, & ulcuſcula ferant.

Arent humores, & tumores, ac ulcuſcula ferunt.

Machinulæ igitur Vaginæ, & meatus urinæ, aliæque partes proximæ participare quodammodo videntur naturam gracilium laminularum, quæ ſi modico igne tentantur, illico caleſcunt, flectuntur, laxantur, ac veluti liqueſcunt, non ſecus ac ſi eſſent cereæ; ſi verò confricationis vis, ſive ignis actio ceſſet, refrigerantur, rigeſcunt, & reſiliunt quacunque: Ignis itaque, ac ſalis ratione, qua confricantur, ac vellicantur memoratæ partes, ſortiantur oportet inſignes mutationes, uti contingit vi ignis, glaciei, vitro, ferro, &c., ſed in tam magna molecularum ſolutione adeò diſtrahuntur, ut capacitatem adauctam cumulent impuris humoribus; qui ibidem variis in locis, & vaſculis congeſti ſimilitudinem referunt nunc unius Ovi anſerini, nunc plurium minoris, atque minoris molis, quorum pondere, & preſſione adinſtar tot torcularium conſtringentium quaquaverſum ita urgentur, & circumprimuntur vaſa, ut neceſſariò aperiantur ductus glandularum, pororum, & cribrorum, hiatuſque lacunarum; ac propterea adinſtar fonticuli, aut copioſæ exſudationis ex lata memoratarum partium

Calor flectit, & laxat ſingulas partes Uteri.

tium laxitate, quaſi ex filtro, albus, & craſſiuſculus humor eliminetur.

Has varias liquidorum congeſtiones pluries obſervavi in Vagina, plurieſque propè Clitoridem, Urethram, nec non extremitatem meatus urinæ, præſertim in Gonorrhoea diutiſſimè vexatis Mulieribus, quarum aliæ febræ lenta fuerunt extinctæ, & earum aliæ diverſa morborum complicatione de medio ablatæ. Cupidus modò intelligendi cauſam tam diutinæ Gonorrhoeæ cadavera ſedulò ſecui, & ſenſuum teſtimonio perſpexi alteram laboraſſe tumore inhærente fornici Urethræ; alteram, & alteram duro tumore in extremitate meatus urinæ; unam tumore inter Urethram, & Vaginam; aliam variis liquidis, exiſtentibus in valdè laxis lacunis in modum glaciei, & tartari. Demum alia cadavera inveni diverſis affecta excoriationibus, ſinibus, ac tumoribus potiſſimùm in Tubis Falloppii, & Teſtibus; ex quibus omnibus arduum eſſe deduxi veram invenire cauſam Gonorrhoeæ.

Humorum congeſtiones tumores, excoriationes producunt in variis partibus.

Ad totius rei non ſolùm perſpicuam methodum, verùm etiam ad ratiocinii majorem facilitatem tradunt Viri graviſſimi, diſtingui veram Gonorrhoeam à notha. At quomodo res, hæc evincitur? Si per intervalla ſenſim calidis humoribus onerantur vaſcula ſerpentia per Uterum, & Vaginam, aliique pauci, parùmve patentes ductus in cervice protenſi, item ſi exilia vaſa Tubarum, Teſtium, meatus urinarii, & Clitoridis, aliaque multa Proſtatarum, ſi rugoſa Oviductus interna ſubſtantia, ſi cæca lacunarum per glanduloſum corpus perreptan-

Gonorrhœa vera, & nota.

tantium foramina, si glandulosa corpora super, & inter Urethram, atque Vaginam existentia; si denique arteriæ hypogastricæ rami ad Tubas, earumque fimbrias excurrentes, aliique rami arteriæ præparantis tendentes ad Testes valdè tumescant; si itidem turgeant hæmorrhoides, umo verbo, si interjecti pori, & spongiolæ cujuscunque fibræ acquirunt majus spatium, & multiplicant in suis loculis cùm salaces lymphas, tùm cætera liquida igniculis ditata, eaque invitò, & ad longum tempus Mulieres depromant; tunc utique ab exaratis vasculis, nimio humorum cumulo imbibitis, nimioque pondere pressis effluat oportet tenuis liquor redactus in majorem facilitatem excidendi ex se ipso, & ex locis, in quibus continetur; cujus proindè uberi copia Mulieres quandoque citiùs quàm à Fluore albo contabescunt, quia eo tempore vires motivæ congesti humoris pendentes ab igne, & sale non sunt semper inter se æquales, sed magis, vel minùs fervent, atque atteruntur; ideoque premunt, distrahunt, & laxant vasa, quæ modò majorem, modòque minorem vim impulsivam nanciscuntur, qua singulos humores ad contactum venientes urgent, & dissolvunt; ac idcircò laxant moleculas fibrarum astruentium vasa, eorum emissaria aperiunt, cribra dilatant, foràsque contentum depellunt, non secus ac è vase figulino aufugit aqua calida, cujus tenujores particulæ igne obsecundatæ penetrant, & quodammodò laxant moleculas terræ, quas indè commeant, & per interjecta etiam spatiola extra vas erumpunt.

Ex hactenùs expositis apertè intelligitur, veram nominari Gonorrhœam à Viris sapientissimis, quandò ex solis Prostatis, glandulis, atque ductibùs meatus urinarii effluit humor albus, vel alterius noxiæ naturæ; & quò magis, vel minùs vitio afficiuntur Prostatæ, & glandulæ circumobsidentes Urethram, eò magis, vel minùs noxia, & inquinata evadit substantia labentis humoris, cujus perennis decursus cùm perseverat, quandò fluunt Menses, tum quandò dejicitur albus Fluor, quoniam iisdem vasculis non videtur egredi pravus Gonorrhœæ liquor.

Gonorrhœa vota. Notha verò appellatur Gonorrhœa, quum prodit tenuis ichor, seu liquidum serosum variis coloribus fædatum sinè sensu doloris, atque erosionis, sinè corporis vitio, atque tabe. Verùm huic Morbo copulatur cachæxia totius corporis, tunc progignitur Gonorrhœa vitio liquidorum, quorum depravata substantia partes non instaurat; sed eas leviter laxat, unàque aliquantulùm flaccidas reddit Prostatas, aliasque glandulas ibi adsitas, ex quibus proindè secernitur lympha tenuis, flava, cerulea, vel alterius coloris.

Symptomata virulẽtæ gonorrhœæ. In virulenta autem Gonorrhœa non est hæsitandum, an Urethra, urinæ ductus, aliæque supra memoratæ partes inficiantur, nec ne; cùm urinæ ardor, pessimæque differentiæ humor effluens, totius Pudendi dilaniationes, foveolæ, ulcuscula, virium languores, & dolores in universum probant totum solidum, & fluidum valdè contaminari. Nam quemadmodum lympha, quæ tempore veris è vi-

è vite ubertim profilit, fupponit aeris æftum, vel aliquam vitis amputationem, ita noxius humor emanans ex meatu urinæ fupponit ignis vim penetrantis, & laxantis vafa; item fupponit acutiffimos falium angulos perterebrantes, ac erodentes fibras vaforum, unàque inducentes ulcus. Præmiffo igitur impuro concubitu paulatim totum liquidum ita venit in novam agitationem, & æftum, ut tam liquidum circumfufum, ejus membranas, aliafque partes proximas agat, mutuòque urgeat, & ofcillet, quinimo fe fe violenter exerceat; particulæ igitur ignis, & falis dum penetrant, & agitant liquida fummoperè diffufa, ita inquam agunt intra fales, ut eorundem igniculorum particulæ intrà binas quafque moleculas liquidi fe fe ulteriùs trudant; & poftquam fe infinuarunt, non confiftunt inter eafdem, fed quafi fluentes illico præterfluunt, undè debita relicta cohæfione moleculæ, quæ per igniculorum infinuationem à contactu receſſerant, non aptè redeunt in mutuum contactum; ex quo fit, ut ignis particulæ, fales activiffimi, aliaque minutiffima effluviorum corpufcula fe fe trudant quafi cunei inter fingulas partes, quæ redierant ad contactum, & inter cæteras, quæ non receſſerant ab eodem, abfque eo quod præterlabantur. Et quum quod dicitur de quibufdam duntaxat Uteri partibus, & humoribus, dici debeat de omnibus liquidis, & de univerfa fabrica Mulierum; mirum non eft, humores fædari, & privari debita miftione tam propter inæquabilem agitationem, promotam & ab igne, & ab effluviis pravæ naturæ, quàm à novo contactu, quo alterantur

tur, & vitiantur partes solidæ sive ab insinuatione cuneolorum tenuissimæ substantiæ se se quaquaversum volventium, soloque transitu erodentium, ac exsolventium earundem contexturam; ex quo propterea fit, ut liquida æstuent, & solida magis confricent, ac idcircò liquida per vim æstus violenter diffundantur, citissimèque membranas, & fibras penetrent, easque cieant in non leves oscillationes, atque contractiones; quibus proindè & exauritur, & absumitur multum necessarii humoris; quarè cæteri humores canales accolentes per vim diffluxus agunt plùs æquo, & semper magis acquirunt impetum usque ad exiliorem canaliculorum partem; & dum eam pertingunt facilè dissolvunt, elimant, vel adinstar papyri madefaciunt. Et quamvis resistentiæ canalium Urethræ, totiusque meatus urinæ, glandularum, & ductuum lymphæ variis implicationibus, ac reticulari contextu non permittant discludi ex toto, nec humores ex toto preterfluere patiantur; tamen fluxus, & refluxus humorum erodentium, vel alterius depravatæ indolis indies magis laxat, & inquinat, & lacerat vasorum villos Uteri, Vaginæ, Urethræ, & meatus urinæ, adeò ut adinstar stillicidii ubertim fluat, & erumpat liquor sordidus, Gonorrhœa dictus.

Superest igitur ostendamus non solum vim effluviorum salis, & ignis agitare humorem lymphaticum accolentem Urethram, & lacunas; verùm etiam vitium impertiri fibris, & glandulis totius mæatus urinæ, aliarumve partium adjacentium, cum effluvia tam noxiæ indolis, ultro citroque commeent,

&

& agant in aliis liquidis foventibus Uterum, & Vaginam; quod idem prorſus contingat oportet cæteris liquoribus in univerſa per vim caloris, cujus energia dicitur agitatio, vel quoddam motus genus urgens, ac rarefaciens tam liquida circumfuſa, quàm contenta intrà canales; ac propterea hìc ea jactat, & illìc magis concutit, ſive in motum reciprocum, atque oppoſitum conſtituit, adeòque ut ſingulæ quæque partes liquidi variè oſcillando permutent vim, figuram, conniſum, ſuperficiem, atque miſtionem; unàque villi, & fibræ vaſorum omnium Urethræ, Uteri, & Vaginæ oſcillent, convellantur, & diſtrahantur, ideoque recedant à proprio termino; & ſi non repentè, ſaltem poſt datum tempus inficiuntur ab illis, anguloſis ſalium particulis, quæ interjiciuntur adinſtar cuneolorum inter machinulas jam flaccidas, & ſolutas; ex quo fit, ut vires langueſcant, & dolores exſurgant, quinimò ut minimæ partes ſolidæ, & fluidæ nec ſimul amicè concurrant, nec invicem reſpondeant.

Ignis, & ſalis effluvia ſolidum, & fluidum vitiant.

Humor ergò effluens priùs forſan nitroſus, poſtmodum acris, ſalſus, & acidus, ſi æquè penetrat, laxat, & erodit tam Proſtatas, quàm totum Uterum, & Vaginam, debet continuò à qualibet parte emitti ea fere ratione, qua lacrymæ ex fiſtula oculorum, & ſanies ex ulceræ præſertim poſt longitudinem Morbi, in quo tum vaſa lymphæ, cùm totus Uterus naturæ membranoſæ, & glandularis impuris liquidis ſubactus elimantur, tumeſcunt, & in ſimilitudinem ſpongiæ madidæ guttatim contaminatum humorem eliminant. In hac ergò partium

Eliminatur guttatim à ſingulis Uteri partibus impurus humor.

tium raritate ſpongioſæ, cedentis, & diſtrahibilis conſiſtentiæ, nec aptè, nec diu retinentur humores, nec multùm premuntur, nec præpediuntur ne diffluant; & licèt in interjectis loculis facilè ſtabulentur, miriſque modis agitentur, nihilominùs ſphæricam rotunditatem aquirere nequeunt, quia minima ſemina conſtituentia liquida ita contornari non valent, ut omnes tendant versùs unum punctum; imò in memorata partium diſtractione fluidæ particulæ magis raræ, ſcabriores, & aſperiores fiunt, ac veluti variis anulis implicantur, & incurvantur ad modum arcus, ideoque præpediuntur, ne magno impetu deſcendant; nam præter reſiſtentiam, quam ſibi ipſis faciunt adinvicem, ſuperare debent aſperitatem parietum, vaſculorum occurſuum, & inæqualitatem, ac rugoſitatem machinularum diſſitarum, quarum ope ubique humores detinentur, & ſemper magis adinvicem irretiuntur; præſertim quia ſcabrities, & inæqualitas expeditam, & liberam vim motivam non ſuppeditat, qua repente excurrere poſſint dicti humores, qui quidem tenuiori tunc lympha privantur, craſſeſcunt, & ſemper magis mutuò adhærent, ideoque magis, magiſque exurunt, dilaniant, & dilacerant vaſa, quæ tangunt, per eaque idcircò guttatim effluunt.

Solvuntur certè, ut nemo non novit, & pluſquam Uterus, & Vagina laxantur Proſtatæ, tum quia minori vaſculorum niſu, machinularum fædere, & reſiſtentia ſcatent; tum quia majori, ac ſalaciori alluuntur lympha, copioſiori ductuum frequentia, ideoque calidis, & luxuriantibus fluidis re-

referciuntur, quæ ſtimulis, quibus pollent, prævia qualibet violentia motus, madefaciunt, laxant, & exedunt glomerulos glandularum Urethræ, quæ jugi etiam urinæ tranſitu, quaſi continuò limæ morſu elimantur, & ſupra alias partes infirmantur cum tota interna membrana meatus urinæ. Quò major igitur, aut minor fuerit excretio, eò major, aut minor ſit oportet exſolutio, & confluxus vitioſæ lymphæ; quæ, ſi indè perſeverat, alluuit univerſum Uterum, & Vaginam, ac propterea cæteros (quamvis reſiſtentiæ majoris) lymphæ ductus, glandulas, lacunas, & ſpongiolas rarefacit, aut dilacerat, ſervata ſemper ratione reſiſtentiæ, ætatis, temperiei, habitudinis, & contexturæ corporum. *Cauſa majoris, vel minoris quantitatis humoris effluentis.*

Ceſſat autem defluxus hujus cœnoſi humoris, vel quia nervi in memoratis partibus conſerti dolenter vellicantur, contrahuntur, atque adeò convelluntur, ut ſinguli villi, fibræ, & filamenta vaſculorum abbrevientur, ac propterea eorum oſcilla perſtringantur; aut quia in poſtremis fiſtularum, & ductuum emiſſariis lanuginoſæ, atque craſſæ lymphæ, aliorumque ſimul liquidorum ſcabræ particulæ inter ſe ſe connexæ ulteriùs diſtrahuntur, atque adeò tenaci fœdere, & reſiſtentia devinciuntur, ut evadant, veluti rete adhærens extremis fiſtularum, & ductuum emiſſariis. Verùm ſi vis dictarum molecularum diſtractarum major fuerit vi ponderis eorundem liquidorum, quæ in vaſculis continentur, ſuſpendatur oportet eorum defluxus eo forſan modo, quo ſuſtinentur guttæ aquæ pendentes ex ramis arborum. *Cauſa carentis defluxus.*

Meum non est hìc ea symptomata recolere, quæ ad virulentam Gonorrhoeam, ejusque indicationes curativas attinent; sed eas tantùm indicare proposui, quæ spectant ad simplicem Morbum Gonorrhoeæ Mulierum, qui ut plurimùm ea petit auxilia, quæ albo congruunt Fluori. Parùm itaque se exerceant Mulieres, utantur aquis Thermalibus, fotibus aliis abstergentibus, & mundificantibus partes affectas, relinquant ea, quæ in rebus non naturalibus censentur noxia, & quum Medicinam faciens cognoverit emergere Gonorrhoeam à cachexia, utatur illis pharmacis, quæ leviter purgant.

Curatio.

CAPUT IX.

De Hydrope Uteri.

ANTECEDENTIA.

EST Uteri Hydrops lymphæ serive collectio laxitatem, & tumorem inducens, tam humorum vitio, quàm ejusdem Uteri, aliarumque partium labe.

Futurum prænutiant Morbum impuritas liquidorum, otium, mæstitia, laxitas universæ habitudinis, & præsertim Uteri imbecillitas, abortus, partus difficilis, nimius Mensium fluxus, ac eorundem suppressio.

CONIUNCTA.

HAnc oſtendunt ægritudinem tumor ventris, Uteri trina dimenſio, paucitas, & pravitas Menſium adinſtar loturæ carnis, gracilitas mammarum, rigor, ac febris.

CONSEQUENTIA.

UNiverſi corporis Mulierum conſtructionem contemplanti planè conſtat organa cuncta ſitu, diſpoſitione, motu, conſenſu, & communicatione quandam inter ſe proportionem ſervare; nam quemadmodum pars parti, & partes toti ſibi invicem omnes reſpondent, ita ſtamina Uterum aſtruentia tum inter ſe, cùm toto compoſito congruant oportet; & quamvis inter partes majores, atque minores intervacui loculi, atque ſpongioſæ inanitates exiſtant, tamen humores circumfluentes adeò per ſuos ductus debent neceſſariò fæcundare, & replere, unàque per poros undequaque labi, ut aptam miſtionem, atque ìnoffenſam unionem ſervent; ac proinde in varia fluida ſe ſe commutent, tandemque per innumera ſecernicula ſeparentur, & quæ ſupervacanea ſunt, detrudantur. Eſt enim Mulierum textura rara, laxa, atque omnino pervia, & humores ſuapte natura graves, ſubtilis ſubſtantiæ, ac penetrabilis eam debent, neceſſitate cogente, permeare pro varia machinularum inſtauratione, & ſecrectione, prove partium æquilibrio, & relatione in-

coruptè tuenda: verùm enim verò ſi invertitur ordo naturæ, hìc obſtruuntur ductus, illic laxantur, alibi incurvantur, vel decidunt minima vaſcula, quæ priùs varia fluida urgebant, imò fibræ, villi contractiles, glandulæ, omnigenaque vaſculorum filamenta debitam liquidorum quantitatem nec impellunt, nec ſeparant, nec perdunt, nec abſorbent; ſed potiùs eam retardant, illaque plùs æquo imbuuntur, ac veluti perterebrantur, & macerantur; ſive veriùs hujuſmodi canalium ſeries ita diſpoſita adeò demergitur intra liquidum quodlibet, quod continetur in interjecto ſpatio ambiente undique expoſitam rerum conſtructionem, ut obſtet influxui tentantis liquidi, unàque retardet, atque præpediat facultates contractiles, ne per totam longitudinem, & amplitudinem canalium influxus agentis liquidi diffundatur, agat, & trudat à contactu, quod eſt inutile, nam quemadmodum gutta guttam auget, atque longo tractu aquæ à diverſis hinc indè rimis confluentes in magnam auguentur copiam, & lacunam conſtituunt; ita humores ſtagnantes verſus Uteri regionem congeruntur in vaſculis ibi repentibus, influunt per poros fibrarum Uteri, aut per glandularum vaſcula rara, vel diſciſſa erumpunt, & paulatim totum Uterum laxant, & alluunt.

Res etenim certa, ac evidentiſſima eſt, ſi quis cogitet aquas puteorum non aliam ferè habere originem, quàm per exſudationem occultam ab aliquo proximo lacu, aut flumine, & quò magis terra eſt diluta pluviis, & frequentibus imbuta nivibus, eo magis excreſcit puteorum aqua; ſic partes Uteri, alie-

aliæque Utero proximæ vasculis & humoribus perpetuò refertissimæ ope cujuscumque labis impuris liquidis citò infarciuntur; indè quodammodo ita madescunt, & eroduntur, ut sensim laxentur, ac veluti tot stillicidiis, quot sunt pori, meatus fibrarum, disruptaque oscilla vasorum lymphæ alluuantur.

Causæ vero hujus collectionis stagnantium fluidorum in Utero, & nequeuntium sursum ascendere, emergere solent à liquidarum molecularum pondere, à jugi motu decidentium guttularum, vel à machinulis villorum, atque fibrarum valdè distractis, & ferè laxatis; quæ etsi sponte sua aptæ natæ sint denuo se se restituere ad naturalem situm, uti contingit in arcu, & in qualibet machina, quæ post violentam distractionem, extensionemque reducitur ad pristinam cohæsionem; tamen in Utero madido minimè fieri potest hæc restitutio, neque fieri sursum potest integrè circuitus, & regressus liquidorum omnium eo, quo decet impetu; ideoque humores aliquamtulùm sistunt, & cohærent, nec eorum stagnantes particulæ sursùm impelli possunt; tum quia resistit naturalis eorum gravitas, & laxitas fibrarum, atque villorum Uteri, tum quia affluentes, & circumvertentes fluidorum particulæ ita augentur, ut ex earum jugi concursu madefaciant texturam fibrarum, vires, & resistentias extenuent, pondusque stillantium guttularum sustinere non valeant, ita ut non præterfluant, ac decidant in cavitatem Uteri, ut clariùs ex Antecedentibus res illustrabitur.

Solent porrò Hydropem Uteri portendere sordi-

di-

Sordida humorum temperies. dida corporis temperies, lymphæ illuvies, fædaque congeries liquidorum pravæ indolis, quorum substantiæ adinstar fluminum, quæ non parcas habent aquas, eæque lentè fluunt, aut stagnantes alicubi sunt, vel aliquo secessu desides, aut ex natura alvei limosæ, maximè si alicujus Civitatis proluviis contemerantur, non possunt quin deturpent totam corporis facturam, unàque Uterum contaminent; ex quo fit, ut filamenta flaccescant, impurissimisque liquidis prorsùs subacta reddantur; ac proindè Uteri attenuatas fibras, earumque inanes spongiolas permeant, tanquam sudor è corpore, vel tanquam lac ex ubere; ac propterea paulatim villos Uteri laxent, & macerent, quin imo ejus cavitatem diffundant, atque extendant, ideoque eam humoribus repleant.

In otio itaque, vel totius corporis inertia, nec *Cur Otium hydropem ferat.* non animi mæstitia humores nec ritè agunt, nec aptè defęcantur; ideoque materiam regenerationi spirituum necessariam non præbent, quorum quantitate, atque vi diminuta, vel magis impura substantia depravetur oportet fæcunda illustratio villorum, inservientium motibus necessariis; propter eaque infirmentur resistentiæ, laxentur fibræ, earumque moleculæ nec satis cohærent, nec sibi mutuò occurrunt; sed in propriis porulis, atque spongiolis, sive inanibus loculis dant locum ineptis liquidorum particulis, ita ut se se insinuent in interjectos loculos, in quibus dum plùs justo stabulantur, modò cum agitatione, modò sive ullo tumultu, fervore, impulsu, & concussione tot constituunt lacunas, quot sunt

ſunt inanitates, in quas derivant; verùm in diutino otio, atque mæſtitia ſi fibræ Uteri, & partium cohærentium fædo ſanguine, lympha, & ſero adeò proluuntur, ut in modum chartæ madidæ laxentur, vel alterius geneſis humoribus indebitè onerentur, aut membranæ vaſculorum tumeant adinſtar malè conditi corii; vel humores parùm fluant in ſimilitudinem lenti fluminis, quorum contaminata quantitate, difficilique tranſitu ripas ut ita dicam, vaſculorum ſuperant, rarefaciunt, effringunt; &, quod deterius eſt, cohæſionem texturæ Uteri tollunt, eumque alluunt, imò vis motrix tunc adeò langueſcit, humores, & ſpiritus tam vitioſa labe inficiuntur, partes Uteri cænoſa lympha imbibitæ ita intervertuntur, & macerantur, ac quodammodò acribus humoribus cuncta vaſorum genera ita eroduntur, ut exeſa, & extenuata fiant, ac idcircò Uterus incidat in Hydropem.

Vaforum eroſio & laxitas violant corpus.

Hoc facile occurrere poteſt Mulieribus cujuſcunque ætatis, temperiei, atque habitudinis, præſertim ſi earum minima componentia, ſtaminaque villorum, & fibrarum adeò attenuantur, eroduntur, ac veluti exſolvuntur, ut conniſum, firmitudinem, unionem, vim, ac priorem reſiſtentiam non ſervent, proculdubio membranæ, villi contractiles, glandulæ, venæ, arteriæ, nervi, ac cæteræ corporis partes, & præcipuè Uteri, quæ hìc referunt ſimilitudinem cribrorum, alibi telæ rariſſimi ſubtegminis, majoris, vel minoris criſpaturæ glomeris, ſtillicidii, atque filtri, ita conſumuntur, elimantur, laxantur; & flacceſcunt, ut perfrui nequant ulteriùs debita ſpiritu-

um,

um, aliorumque fluidorum comitatu, ideoque privantur contractionum, distractionumque vi, ac propterea pressionum, ac circumpressionum momento; tunc inquam, fibrarum, & organorum omnium laxitas, imbecillitas villorum, Uteri, Tubarum, Testium, cæterarumque partium concidentia, membranarum distractio, atque vasculorum occlusio præpediunt virium facultatum, ac resistentiarum exercitationes; ac proinde violatur tota liquidorum massa, ne reparet fabricæ jacturam, ne agat intrà machinas, ne istæ moliantur separationes opportunas, ne ab ipsis defluant superflua, atque expellantur: saturatur igitur Uterus tanta liquidorum colluvie, ita ut tumeat, se se aperiat, & in propriam cavitatem supervacaneos humores congerat, ac Hydrope laboret.

Vasorum Uteri dilaceratio.

In abortu, partuque difficili Uterus plaga maxima afficitur, & omnia quot sunt vasorum genera per ejus membranas repentia præ dolorum sævitia, nimioque conatu valdè solvuntur, & lacerantur; ac idcircò villi contractiles, eorum minimæ machinulæ haud restitui possunt ad naturalem cohærentiam, debitum terminum, atque rugosas crispaturas; ex quo fit, ut in interjecta spatiola latentia inter oscilla infracta vasculorum, inter filamenta, spongiolas, atque moleculas fibrarum, extra suum locum sitas derivent humores salsi, & potissimùm lymphæ, quæ tum à vulnere Uteri, cùm ab hiantibus ejus oscillis, quasi ex tot stillicidiis erumpant, & diversas lacunas constituant; sed in tantam molem serositates, & humores excrescunt in memoratis sinulis, ita ut circumprimant supra resistentiam vascula propè os Uteri con-

conſerta, quæ poſt datum tempus nimio humore cumulata incurvantur, & flectuntur in modum arcus; imò os Uteri non parùm premunt, & omnino claudunt, abſque eo quod illis tantum ſit virtutis, quantum oportet, ut alluentes humores pellantur, & illi, qui in vaſculis continentur, revocentur ſurſum ad circulum; quare ſtagnantes humores, ſpectata dicta partium laxitate, ſenſim commeant, penetrant, & per raros Uteri poros modò citiùs, modo tardiùs Tubas, Uterum, Teſtes, vel omnia ſimul replent, atque Hydrope contaminant.

Hiſtoriis ſunt plena Doctorum monumenta, produci ſcilicèt Uteri Hydropem ab immodico, Menſium fluxu, cujus exordia ſæpè natalia ducunt à vi gravitatis ſeri, ſanguinis, vel alterius liquidi ſe ſe intrà poros ſalium inſinuantis, eoſque diſſolventis; ac proindè impetum, atque fervorem ingenerantis, ſeu veriùs exoriuntur ab igne humoribus circumfuſo, cujus immodica diffuſione diſperguntur tum particulæ ſalis, cùm aliorum liquidorum erodentium, quæ agitationem, fervorem, & fluiditatem novis ictibus, & igniculorum impulſibus nanciſcuntur adinſtar aquæ, quæ valdè ebullit, attollitur, & incenditur, dum vìvam calcem perfundit. Sic humores efferveſcunt à repetitis convolutionibus, percuſſionibuſque ab igniculis ſuſcitatis, & à minimis ſalium particulis huc, & illuc jactatis; laxantur igitur ſingula Uteri vaſcula, quinimò eroduntur, & hiant, ideoque plùs juſto contentos humores evomunt, ita ut poſt longum tempus ſanguis non parùm imminutus, aliorumve liquidorum ſuperſtites particulæ

Immodicus fluxus menſium.

Ff ſe-

ſegniores æquo factæ, ac veluti ſeminibus vividiſſimis vacuæ, nec benè corpus foveant, nec latera vaſorum pulſent, & urgeant, nec turgentibus particulis, nec tanto igne ſcateant, ut ſatis permeare, fluere, munire, atque irritare valeant facultates promoventes vires. Quare ſi contractionum momenta ita imminuantur, ut minora fiant momentis diſtractionum, ſanguis, & lymphæ inutiles ab Uteri etiam emiſſariis minimè detrudi poſſunt, villi ſe ſe magis debent removere à contactu, nec ſe in mutuum recurſum reſtituere; præſertim quia lymphæ, aliique ſatis diluti, & languidi humores villorum filamenta, atque machinulas non reparant, ſed potiùs proluunt, & alluunt; imò eo fere modo, quo aqua papyrum humectat, madefaciunt, laxant, & exedunt Uteri fibras, quæ proinde exploſiones conſuetas excitare nequeunt; hinc partium conſenſus recedit à mutuo amplexu, earunque uſus ita infirmatur, ut ſinus, & contextura Uteri jam labefactata, atque laxa valdè dilatetur, impuriſque fluidis referciatur.

Fluor albus. Neque ſolùm immoderatus Menſium fluxus, ſed Fluor etiam albus diù nimis perdurans univerſalem cachexiam pariunt; ac idcircò ſingulas Uteri ſpongiolas, ejuſque inanes machinulas madefaciunt, ſimulque cunctas Uteri facturas, & præſertim glandulas, atque villos adeò diſſolvunt, & diſtrahunt, ut facilè oſcilla vaſculorum Uteri, ibique excurrentium vaſorum emiſſaria concidant, & quodammodò demergantur abſque eo, quòd lymphæ, aliique inutiles humores ſecerni queant.

Nonnunquam autem hæc impuri liquidi congeſtio

ſtio appellatur Uteri aquoſa moles, ut ſtatuunt Tulpius, Hildanus, & Schenchius, qui ſedulò obſervarunt lympham modò viſcidam, modò aquoſam, nunc una, nunc pluribus, & quidem diſtinctis veſiculis coacervatam: ab Etmullero, aliiſque graviſſimis Scriptoribus falſa vocatur Conceptio, plurium ſcilicet Ovorum infæcunda generatio, quorum in Uterum deſcenſus cum multiplex eſſe poſſit, item multiplex ſit oportet liquor diverſis in ſacculis congeſtus ope affluentis ſucci nutritii, qui inter Ovorum panniculos derivatus, & concluſus unicam in ſingulis Ovis quaſi conſtituit veſiculam: quare in Ovariis ipſis fiunt interdùm tantæ numero veſiculæ, quanta ſunt Ova Teſtibus adſita, quæ etſi mole parva citiſſimè tamem, cum ſumma donentur teneritudine, imbuuntur lympha, excreſcunt, & tument; ſed facilè, ut multis arridet, vi Purgantium diſrumpuntur, niſi violentia vomitus, ſternutationum, caſus, ictuſque inopinati ſummoperè concutiantur, unoque ſimul tempore ſcindantur.

Varia humorum congeſtio.

Evenit hoc idem aliquandò in Mulieribus Menſibus ſuis carentibus, & præcipuè ſi Uteri glandulæ, lacunæ, Vaginæ, venæ, arteriæ, & lymphæ ductus laxentur adinſtar goſſipii indiſtenti; vel ſi ita rareſcunt fibræ, ut in modum ſpongiæ fiant earum inanitates, ac proinde excipiant multum inutilis humoris, cujus ſuperflua copia imbibitæ deſtitui debent opportuna vi contractionis, & diſtractionis; imo hac longa motus privatione, ſive inertia magis magiſque humores debent lenteſcere, & in ſimilitudinem veluti aquarum ſtagnantium undique obſidere, & ſubmer-

Menſium carentia.

gere fabricam Uteri, fœdusque molecularum cujuscumque filamenti ita dissolvere, ut tenuiores humores, & lymphæ permeent, congerantur, & stabulentur in Uterum, ut clariùs ex Conjunctis liquebit.

Duplex Uteri Hydrops. Duplex communiter creditur Uteri Hydrops, alter videlicet à flatibus, qui Tympaniti quodammodo assimilatur; alter à liquidis diversæ indolis pessimè congestis, & hic Asciti respondet: horum primus, etsi à flatu illicò irruente exoriatur, dolorem jugiter excitat, & Uterum protendit, uti in hystericis affectibus quandoque contingit, quinimò si Uteri trina dimensio valdè adaucta diu non perennet, sed priùs adinstar tumidi veli, indè laxi brevi discutiatur, jurè Hydropis nomen non meretur. Addunt horum alterum gravissimæ auctoritatis Scriptores, Tubarum nempè, Testium, Uteri, ac aliarum finitimarum partium Hydropem Leucophlegmatiam dictum, cujus præsentiam ostendit congestio lymphæ crassæ, & lentæ in similitudinem vitri fusi, vel seri albi adinstar lactis, ut non semèl observavi in Pisarum Xenodochio; & cum rusticandi consuetudine gau-*Observatio* derem, in Muliere hoc morbo diutissimè vexata, quæ post undecimum mensem repentè non paucas libras crassi, & viscidi humoris excrevit. Elapsis verò duobus aliis annis iterum laborare cępit eodem morbo, demum pleuritide correpta occubuit, in cujus cadaveris sectione inveni Uteri cavitatem, Testes, & Tubas diversis veluti marsupiis cumulatas, in quorum sacculis, ac interjectis spatiolis viscidam, ac ferè lacteam lympham observavi.

Tumorosa igitur hæc Uteri extensio adinstar vi-

vitis uvis onuſtæ, quæ ſuapte natura ſuſtineri nequit, dummodò arbore, aliove ſubſtentaculo ſuis capreolis non fulciatur, concidit, quia ab univerſa vaſorum ferè integris viribus ſursum, deorſum, & alternè, in cænoſo, molli, ac madido ſitu non comprimitur; facilè idcirco in hujus loci humilitate progignitur Hydrops vel ab exiguo, & languido fulcimento ſingularum fibrarum, vel à filis ductis in orbem, ideoque ſpheræ, aut arcus figuram repreſentantibus; ſive mavis, à nimia laxitate, atque mutua diſiunctione; vel denique à tanta molecularum compreſſione, qua memoratæ fibræ, & vaſa cuncta adinvicem nituntur, nimis urgentur, & ſibi ipſis reſiſtunt; ſed quamvis humores lentoris naturam æmulantes in cavitatibus vaſculorum contenti inertiam, tardamque attritionem, & motum ſortiantur, à langueſcente tamen villorum, atque vaſculorum impulſu leviter urgentur, & minus, ac res poſcit, cientur; præſertim quia machinularum conſtructio Uteri impuris ſemper humoribus ſatura, ac ferè viſco oblinita activiſſimis opponitur liquidis, ideoque torpentibus viribus, variiſque reſiſtentiis donata ſitus, ac majoris termini mutationem ægrè nanciſcitur, & ab incumbente pondere, nec non à gravi lutulentorum humorum preſſione deorſum tendente præpeditur; ex quo fit, ut liquida, quæ infarciunt moleculas fibrarum eas deforment, ſuperficies ſcabras, aſperas, & inæquales reddant; ac propterea earum vires, & reſiſtentias adeò infirment, ut inæqualiter fluida ipſa retardent, nè ſursum liberè revehant: otioſi igitur villi Uteri ſe ſe contrahere, & diſtrahere liberè non va-

Fulcimentum languidum fibrarum.

valentes nec vim naturalem exercere queunt, nec aliud pondus ſuſtinere preter infarctum, & conſtrictionem progenitam à circumambiente preſſione, aut ab alluvione circumfuſi humoris ita fibras extenuantis, ut liquores intrà quamlibet inanitatem ſtabulantes permeent, diſſuant, dirimant vaſcula, latibula, inaneſque ſpongiolas cujuſcunque filamenti Uteri.

Variæ partium læſiones.

Hæc itaque tumoroſa labes nunc à totius corporis malè affecti vitio, nunc à læſione tantùm unius partis ingeneratur, uti etiam poſt febres acutas, poſt vitium unius, aut alterius viſceris, vel poſt rheumaticas paſſiones, &c obſervare licet; nam ſi quis Uterum ſedulò examinet, in confeſſo habebit, componi ex machinulis flexibilibus, & reſilientibus in modum arcus; & in hiſce machinis villorum, atque tiliarum conſiſtere tumidam elevationem Uteri, cujus inſtrumenta magis, vel minùs flectuntur, & explicantur pro ut magis, vel minùs ab externa, atque interna liquidorum quantitate, vi, acrimonia, aut ſalſedine urgentur, irritantur, atque læduntur, ſive in alium terminum, ampliorem que locum venire conantur. Hoc integrè aſſequitur, qui hoc jugiter meditatur, præſertim ſi concipiat liquidorum ſubſtantiam conflari & ipſam ex innumeris machinulis juxta ſe poſitis, & in hujuſmodi fluidorum aggregato reperiri non paucas particulas conicas, aliaſque virtute elateria donatas; quæ poſtquam ſe ſe inſinuarunt in meatus, atque inanitates villorum adeò comprimuntur ab aliis, & aliis ibi irruentibus, ut ſe ſe diffundere, ac dilatare nitantur; atque idcir-

circò irrumpere intra aliam cavitatem, quo tempore fibrarum, ac villorum machinulæ vel laxari, vel torqueri, aut flecti, & arcus figuram acquirere conantur.

Totam igitur Uteri fabricam in qualibet ætate, atque corporis habitudine ex hactenus jam dictis componi liquet à variæ contexturæ particulis, conulis, ac tubulis magis, ac minùs gracilibus, eosque astrui ex materia magis, vel minùs resiliente. Item liquidò constat, memoratas machinas foveri, & instaurari ab optimæ indolis humoribus, qui si sale, ac sulphure indebitè referciantur, vel aliis seminibus elaterio scatentibus, aut acidis particulis erodentis naturæ adinstar aquæ fortis cumulentur, tunc rarescant oportet vasculorum, atque machinularum contexturæ; imò contrahantur, ac tendantur villi necesse est, simulque humores concitentur, ebulliant, evaporent, & aerem circumfusum laxent, atque explicent, eoque quasi nova vi Uteri membranas, earumque vascula tendant, & adinstar veli vento expositi repleant. *Humores salsi, & sulphurei.*

Quoties libero impetu non fluunt Menses, toties humores debita igniculorum præsentia, & vi carent; ideoque retardantur, atque turbantur, &, quod deterius est, fabrica Uteri hebescit, ac priori contractionum vi destituitur, proptereàque contaminetur oportet materies fluidorum, quæ nec proportione respondet machinulis, poris, vasculis, atqne vasculorum emissariolis totius Uteri, nec adeò urgetur, premitur, atque atteritur, ut aptè secerni, ac depelli possit. Quamobrem Uterus paulatim *Menses retardati.*

latim laxatur, atque alluvione quadam afficitur adinſtar ligni raræ ſubſtantiæ diu in aqua demerſi, cujus laxa materies aquæ gravitate, ac tenuitate facilè madet, penetratur, & nimis forſan aqua ipſa imbibitur, non ſecus ac ſi eſſet ſpongiæ fruſtum; item Vagina, cujus rara, ac ſpongioſa ſubſtantia, quemadmodum minimis donatur lacunis, vaſculis, & glandulis variè diſpoſitis per ſeries tenuiſſimorum filamentorum adinſtar capillitii ſcatentis inæqualibus criſpaturis, ita facilè in ejus rugis, & vaſorum ſuperequitationibus ſiſtere debent humores, vaſa replere, tumefacere, omniaque alluere.

Prava ſecretio Menſium adinſtar loturæ carnis.

Prava item Menſium ſecretio in modum loturæ carnis prænuntiat craſſas, atque terreſtres ſanguinis particulas malè commiſceri, difficilè ab invicem diſſolvi, ac ſeparari; quinimò unam liquidorum partem igniculos ferè tumulare, ideoque innumeras humorum particulas mutuò conjungi, ac veluti ſphæricè conglobari; alteram itidem humorum partem vaſorum lateribus inhærere, quotieſcunque in villorum Uteri laxitatibus, ejuſque loci humilitate ſibi mutuò approximantur, uti colligitur ex duabus, aut pluribus aquæ guttis, una ſuper aliam exiſtentibus, ſeſeque viciſſim amplectentibus, ac ampliorem guttam efformantibus. Variè enim indolis, figuræ, ac ſuperficiei particulæ miſtionem, contactumque diverſimodè conſtituunt; & quamvis à preſſionum vi, aut ab aliqua violentia diſtrahantur vaſcula, cunctaque organa ſolida, ſive atterantur fluida, & perturbentur; ſive veriùs, quamvis ſub preſſionum prælo pluries, & quidem variè

re-

reponantur humores, ac proindè segregentur, & exprimantur tenuiores substantiæ redolentes naturam lymphæ, vel seri, seu mavis spumæ, aut loturæ carnis; tamen recolliguntur, arctiùsque denuò conglobantur tartari, salis, aliæque lentæ, aut scabræ liquidorum moleculæ, quæ nervos protensos pungunt, spiritus concitant, & jactant; ac proindè Uteri tendunt vasa, ea sensim indurant, & pungunt, imò Uterum laxant, & replent, & sæpissimè tumorem aliquem procreant.

Congeries ergò iners, ac viscida inutilium liquidorum diu in Utero existentium semper magis depravat, & invertit humorum particulas, villorumque machinulas contaminat, infarcit, & macerat; ideoque relationes, vires, & resistentias adeò infirmat, ut circularis liquidorum motus languescat, aliique motus minimè propagari possint usque ad summitatem præsertim illorum vasculorum, quæ in mammas protenduntur; nam in fistula angusta, & alta non æquè commodè, ac facilè aqua agitari potest; vel si semel agitatur diu non perseverat, quum crassiores, ac duriores particulæ non ascendant usque ad supremam aquæ altitudinem, dummodò agitatio non sit vehemens, sive non superet inertiam, crassitiem, & resistentiam totius molis aquæ: sic humores foventes Uterum, & in quadam constituti quiete, ac veluti stagnantes, impressos motus, impulsus, atque circumpressionis vires vix percipiunt tum ob figuras ramosas, quibus invicem irretiuntur, cùm ob resistentiam eorundem adversùs minimas contractiones, debilesque agitationes, *Inutilium viscida congeries.*

& hac de cauſa motus in tota Uteri fabrica languidè perſoluti haud ſurſum urgere queunt humores uſque ad mammas, eaſque nutrire, reſpergere, ac reparare; potiſſimùm quia ob memoratam Uteri lacunam fluida cuncta tam ratione majoris gravitatis acquiſitæ, quàm vitio figuræ, ſuperficiei, & naturæ permutatæ ita inquinantur, ut attolli, ac inſinuari nequeant intrà inania ſpatiola glandularum, quæ ſunt in mammis conſertæ.

Ex pluries allatis ulteriùs conſtat ſubſtantiam Uteri continere innumeros poros adinſtar ſpongiæ, vel pumicis, eoſque exiguos, & inter ſe communicantes, qui vel lympha, aut aere replentur. Nemo propterea negabit lympham proprio, ac naturali pondere ſe ſe inſinuare intrà meatus, atque inanitates fibrarum Uteri, at cum aliqua agitatione, ut in ſpongiæ madefactione contingit; ſimulque cum motu congruente lymphæ ſale refertiſſimæ, cujus angulares, & ſcabræ moleculæ jam commotæ, & ad diverſas partes tendentes impetum concipiunt; & ſupremis, infimis, ac lateralibus poroſitatibus percuſſiones inferunt, hoc eſt tum fibris, & villis, cùm nervis, vaſculis, & glandulis ibi conſertis; ex quo fit, ut agitatio, & commotio exarata irritet, & ſtimulet nervos Uteri, ideoque pungat, moleſtiſſimamque vellicationem, convulſionem ſcilicet levem, vel rigorem in univerſum corpus excitet.

Quomodo rigor excitatur.

Suppoſita ergò agitatione, & commotione lymphæ alluentis Uterum, dum hæc vi ſuæ gravitatis inſinuatur intrà ſpongiam Uteri, facilè ab invicem diſſocientur oportet particulæ eam componen-

nentes, tum ob ejus injectionem intrà inanes loculos, tum ob percussionem, & contactum aliorum fluidorum elaterio scatentium; ex quo necessariò fit novus motus, nova commotio, ac veluti novus fervor, cujus ope à vinculis solvuntur semina delitescentis ignis, implicati salis, vel cujusvis alterius principii, quæ indè omnia sæpissimè acquirunt tantum momenti, quantum oportet, ut stimulent, & interturbent spiritus, fibras confricent, & urgeant humores, imò ut febres exsuscitent.

Lympha commotio febrem suscitat.

Post suppressionem Mensium Mulieres se Utero gestare existimant, etsi loco fœtus lymphas tantum in Utero collectas diu ferant; ideoque motus fœtui congruentes statuto tempore sensibus non percipiunt, sed undas solummodò contenti humoris sine siti, orisque ariditate persentiunt; hinc durities, & renitentia pendent à flatibus, quemadmodum fluctuatio à sero, & lympha generatur, quæ si in Utero solùm congeritur, tantum spatii non occupat, quantum in universali Hydrope, uti per occasionem observatio demonstrat, quandò flatus, vel serosus humor ab Utero duntaxat erumpunt; quod dilucidè patet ulteriùs in lochiorum suppressione, quorum lutulenta congestio brevissimè Uterum in magnum tumorem attollit, & Hydropem constituit. Verùm si postmodum lochia iterùm fluere incipiant, citissimè Uterus detumet.

Quando lympha ab Utero.

Post Mensem unum, aut alterum à Conceptione incipiunt quandòque Mulieres Uteri Hydrope laborare, uti non raròex abortu mortui fœtus secundi, aut tertii mensis, nec non à magna lymphæ ex-

excretione evincitur. Concipiunt, item aliæ, indèque præ molli, ac veluti cerea Uteri substantia paulatim dissolvuntur fibræ semine sparsæ, & plùs æquo laxantur texturæ vasorum lymphæ, cujus rei causa lympha ipsa Uterum in lacunam convertit, & corpus universum commaculat, & madefacit; nihilominùs non paucæ sunt Mulieres, quæ ad legitimum usque tempus gestare possunt fœtum, sed adveniente tempore partus utroque exonerantur; verùm si interna Uteri stamina, & vasa superequitantia lacerentur, aut aliquantulùm membranæ dilanientur, nec eo, quo priùs arcto fœdere fulciuntur adinvicèm machinulæ Uteri, atque vasorum ejus, nec ita concinnè revertuntur ad priorem connisum, ut Mulieres recidivam pati nequeant.

Abortus Conceptio.

Cunsulat qui hæc perpendit Hildanum, Salmuth, Etmullerum, Vesalium, Platerum, Fabricium, aliosque plures, in quorum commentariis inveniet innumeras ferè historias, quæ ad evidentiam usque probant exposita.

Ne igitur Uteri simplex tumefactio in verum Hydropem degeneret, cogitandum est priùs, ut monet Tulpius, Brunet., Primerosius, Roderic. à Castro, aliique eximii viri de illius interna causa, an scilicet à vitio viscerum, an ab Uteri imbecillitate, aut à tumore progignantur, indè certa elicta indicatione, prompta est instituenda Curatio. Cogitet ergò Medicinam faciens, an hic Morbus Uterum alluens sit cum, aut sive fœtu: si primum, relinquat opus naturæ, dummodò sævissima non urgeant symptomata, quo tempore blandè aliquandò evacuet; si secundum

Indicationes & curationes.

dum ſtimulet Uterum, ac partes proximas nunc vomitoriis, nunc clyſteribus, demum mitioribus priùs Purgantibus, indèque validioribus.

Verùm enim verò ſi à Suppreſſione, vel à nimia plenitudine Morbus exurgat, locum habere videtur venæ ſectio, ſecus autem ſi ab alia progignatur cauſa, evadit noxia: ſola igitur Purgatio tutius ægris præbet auxilium, eaque non inconſultè peracta diu aperientibus, & diureticis utendum.

Me autem non ſemel docuit obſervatio, Mulieres urbanas poſt partum variè laboraſſe, modo nullo non menſe, modò cum interjecto ſpatio trium, vel quatuor menſium Uteri tumoroſa elevatione, ſed expulſione peracta quatuor, vel quinque librarum lymphæ, Uterus ſe ſe reſtituebat, forſan quia congeſtio lymphæ, quæ in veſiculis, Utero, ejuſque conſertis vaſculis hoſpitabatur, propria, qua ſcatebat gravitate, atque erodente vi tam obſtructa vaſculorum oſcilla, quàm Uteri os patefaciebat, ac propterea veſiculas memoratas ſcindebat; ſed nè diutiùs Morbus Patientes gravaret, atque rueret in pejus, ſingula hebdomada leve leniens propinabam, cujus auxilio multum ſeroſi humoris Mulieres hoc Morbo affectæ per alvum pellebant; nec ampliùs poſt ſextam vicem Uteri tumore, nec improba humorum eliminatione gravatæ fuere. *Obſervatio practica.*

Laudat Malpghius Conſil. 64 Tincturam Chalyb., Remedium Poterii, Jus pullæ alteratum radic. gram. foliis primulæ veris, &c. Quæ omnia variè adhibita integram curationem abſolvunt.

CA-

CAPUT X.

De Uteri Procidentia.

ANTECEDENTIA.

UTeri Procedentia eſt deſcenſus, vel ejuſdem è ſuo loco remotio cauſa laxitatis, aut ſolutionis ligamentorum illum appendentium.

Ut plurimùm anteire ſolent partus difficilis, Menſium ſuppreſſio, profluvia, fluores, dolores in qualibet hypogaſtrii parte, ictus, caſus, percuſſiones, labores improbi, cæteræque violentiæ laxantes, nec non exſolventes memorata Uteri ligamenta.

CONJUNCTA.

COmitantur ægritudinem moleſtus Uteri ſenſus, pondus grave, difficultas ad motum, è ſinuque pudoris exitus ipſius Uteri repræſentantis tumorem adinſtar Ovi anſerini.

SUCCEDENTIA.

HÆC Uteri factura raró in tenellæ ætatis Virginibus, ſæpè in Conjugatis, ac Vetulis deſcendit; & licèt in iſtis fibræ, ac villi contractiles ſint in omni contextura canalium variè implicati, atque explicati, tamen nihil continent, quod ſit firmum, & laxitatem non redoleat, aut quod obſtare poſſit ten-

tan-

tantibus liquidis, ne flexiles, & ex sui natura contractiles, atque distractiles machinulæ ab aliqua interna vi, aut externa dissocientur; ne membranæ ad contactum positæ contranitantur intestino conatui liquidi circumfusi, ne madeant, atque plùs æquo protendantur, ac idcircò alium acquirant terminum; nam glandulæ, membranæ, villi, & fibræ canalium per Uterum repentium satis aliquandò foras trudere nequeunt supervacanea per influxum agentis liquidi, quia sunt nimis distractæ, & humoribus imbibitæ; ideoque urgent tantùm ad exteriora eodem illo conatu, quo urgentur à liquido quiescente. Verùm si hujusmodi conatus est æqualis nisui, quo eædem membranæ urgentur à circumfuso liquido versùs interiora, si item paulatim augetur liquidum quiescens, non poterit non macerare fibras, easque magis distrahere, & præ nimio infarctu, ac pondere circumfusi humoris, earum superare vires, & resistentias; ac idcircò Uterum immodica humorum sarcina gravare, ejusque ligamenta exsolvere, ac diruere.

In Senibus autem sępissimè observatur hoc Morbi genus, quum quacumque solidi labe, fibræ, villi, atque tiliæ musculares ligamentorum Uteri fiunt inæquales, cruentæ, asperæ, ac veluti crustulosæ; nam earum omnium constructio, ne dicam inanis aggestus diversarum particularum facilè cedit, & extenuatur; ac proptereà benè adinvicem filamenta non coeunt, nec mutua concinnitate implicantur, nec proportione congruente sibi respondent; imò dictæ fibræ, & villi contractiles, eorunque machinulæ debita

bita unione, ac virtute privantur, ſive, quod in idem recidit, ſpirituum activiſſimis particulis deſtituuntur, fluidaque cuncta naturali miſtione carent; ac propterea utraque viribus, & reſiſtentiis inter ſe agentibus adeò vacant, ut languida prorſus, infirma, atque inepta evadant ad Uteri pondus ſuſtinendum.

In quacunque igitur ætatæ, Uterique poſitione ſingulæ ejus partes laxitatem pati poſſunt, ut de Morbis Mulierum ſtatuit Hip. Si igitur conceptus liquidorum impetus extruſioni conducens non eſt tantus, qui ſuperare poſſit occurſus, ac reſiſtentias tum à ſolidis, cùm à fluidis exortas, aut ſuperſit, vel redundet liquidi circumfuſi pars aliqua, tunc membranæ Uteri laxant ſuas rugoſas plicas, nec diſcludunt hiatus vaſorum, imò liquidùm diverſa vaſa accolens tardè, & languidè derivat tam ad nova vaſculorum immiſſaria, quàm ad eorundem emiſſariola; ex quo demùm fit, ut ad certum uſque terminum deductum liquidum nec influat, nec effluat, nihilque urgeat, ſed pondere, quo ſcatet, paulatim devolvat Uterum, eumque è ſua dejiciat ſede: fibræ ergò carnoſæ, omnigena vaſa, variè inter ſe contexta, communis Peritonæi membrana Uterum circumſepiens, unàque faſciculi fibrarum, lata, & rotunda, ligamenta dicti ſuſpendunt Uterum, & ſuſpenſum alligant partibus proximis, eumque adeò firmant, & detinent, ne ſitum mutare, & extra pudendum prolabi poſſit: verùm ſi vitio corripiuntur non levi, aut plus juſto laxatur, Uterus foràs procidat neceſſe eſt, quemadmodum ex Antecedentibus priùs dilucidè res illuſtrabitur à Conceptionis tempore uſque ad

ad partum, totius Uteri substantia augetur, & quò magis dilatatur, increscente fœtu, eò magis tument, & incrassantur fibræ, atque tenduntur; imò ejus stamina carnosa, ac nervosa priùs solida, vel duriuscula, sensim fiunt mollia, ac veluti spongiosa, humoribus nempè satura; ideoque postremis mensibus ita explicantur, crassescunt, & turgent, ut, dum in gratiam fœtus magna alimenti copia ad illum confluit, pollicem, aut fermè duos digitos transversos quaquaversum æquent; nam arteriæ, & venæ spermaticæ, hypogastricæ, lacunæ, atque glandulæ, spongiolæque fibrarum valdè humoribus cumulantur, Testes, Tubæ Falloppii dextera, & sinistra, Uteri fundus, & cervix, quin etiam Vagina anterior, cui vesica incumbit, posterior, cui adjacet intestinum, superior, cui cervix propendet, unaque inferior, quæ Pudendis annectitur, quodammodo infarciuntur, adeòque liquidis onerantur, ut facilè distrahantur, & laxentur: hæc etenim omnia sic humoribus imbibita tempore partus exitum valdè præpediunt, ex quo fit, ut conatus, dolores, & cruciatus ita insæviant, ut vires, labores, & motus violenti summoperè augeantur, unàque partes memoratæ maximis stimulis concussæ, & jactatæ, imò in interjectis spatiolis, & loculis, spongiolis, superficiebusque scabris, & asperis, simulque liquidis diversæ, & inæqualis figuræ onustæ perterebrentur, propriam resistentiam amittant, ligamenta distrahant, dissolvant, & lacerent, ac idcircò Uterus è suo loco versùs Pudenda necessariò descendat.

Uteri gestationes, & partus difficiles.

Mensium Suppressio, Profluvia, albique Fluo-

res contaminant, & exedunt Uterum, eumque adinstar chartæ madidæ fædis humoribus imbuunt, ita ut fibras falsis & acidis hnmoribus subactas exolvant, ideoque vires, & resistentias infringant; quare spirituosæ particulæ Uterum languidè perlustrantes, si sunt nimis dilutæ, atque impurissimis liquidis irretitæ, ac veluti omninò pessundatæ fibras, & villos ita munire nequeunt, ut vix fabrica Uteri in debito æquilibrio existat, quinimò majori indies pondere pressa, sue veriùs combinatione, atque coalitu diversarum molecularum se se in fibrarum, ac villorum spongiolis associantium obruta, vel fluxu, & refluxu rei acris, salsæ, & sulphureæ erosa, elimata, ac dissoluta nequeat suo in loco persistere.

Mensium suppressio, Profluvia, & Fluores albi.

Dolores verò occupantes, exteriorem Uteri membranam ortam à Peritonæo, sive mediam, aut muscularem, sive intimam, aut nervosam concutiunt, convellunt, ac sæpè solvunt tendines, fibras, & machinulas totius substantiæ Uteri; imò si harum ultima torquetur, quæ est tenuis in fundo Uteri, maximèque rugosa in collo, atque multis obsita foraminulis, vasorumve oscillis, ex quibus ope pressionis exilire solet multum lymphæ, & crassiusculi humoris, si diu, inquam, altera, aut altera membranarum sævis doloribus vexetur, distrahantur etiam oportet ligamenta lata, processus nempe Peritonæi lateribus Uteri, & Vaginæ alligati; itemque alia rotunda exorta ab Uteri lateribus, ab eo loco potissimùm, ubi Tubæ Falloppianæ committuntur; hæc enim ligamentorum substantia omni vasorum genere donata, venis scilicet, arteriis, nervis, ac du-

Dolores in partes hypogastrii, sive Uteri.

ductibus lymphaticis prædita, si prava liquidorum congerie irritetur, sive quælibet alia pars Utero proxima vitiosa labe afficiatur, interjiciantur quoque necesse est quaqua inæquales, asperæ, & angulosæ humorum particulæ, acidæ, salsæ, ac veluti igneæ naturæ, quæ adinstar aquæ Stygiæ, vel scabræ arenæ erodant, perfodiant, ac lacerent oportet villos, ac omnigena filamenta; ex quo fit, ut fabrica Uteri in hoc, vel illud latus inclinet, laxetur, aut extra Pudenda descendat.

Hoc idem prorsus evenire potest tam singulis Uteri partibus, quàm aliis in Abdomine contentis, præsertim si humores sint igneæ, acris, ac salsæ indolis; nam hujus generis liquores per arterias, venas, & lymphæ vasa summa celeritate vehuntur, penetrant, & magna concitatione irruunt in omnem, etsi minimam particulam solidam, ita ut earum nulla sit, quæ vim non patiatur, ideoque inæqualiter contrahatur, laxetur, commutetque motum, figuram, contactum, & connisum; quinimò tempore improbi laboris, percussionum, ictuum, cæterarumque violentiarum, nulla est fluidorum molecula, quæ non concitetur, concutiatur, jactetur, ac sub prælo diversarum virium quodammodò prematur, proindeque cogatur explodere aliquid proprii fluoris, cum non levi violatione, detrimento, ac jactura partis solutæ, & præsertim ligamentorum Uteri. A percussionum igitur vi, atque violentiis ab extra venientibus gignitur Morbus hic, uti de Morbis Mulierum ajebat Hip., *Omnis occasio Uterum pellere potest, si quid mali pars habet*. Multum certè mali Uterus, aut alia

Ictus casus percussiones labores violentiæ laxantes Uterum.

Hh 2 ejus

ejus pars habet, si humores quacunque diffusi adeò laxant, & dilatant contexturas fibrarum, ut spongiolæ, & inanes intercapedines villorum, plusquam par est, saturentur, simulque circumprimantur, vel tumeant singula vasa, in quibus sanguis serò, lympha, aliisque humoribus implicatus rarescit, & laxatur; ex quo fit, ut minima vascula Utero intertexta in ejusque ligamentis inserta adeò turgida, pervia, atque dissoluta fiant, ut invicem præpediantur, nec sibi respondeant, nec debita proportione contrahantur, neque Uterum suspensum teneant. Quarè humores in data partium remotione à naturali contactu, si adinstar maris procellosi non effervescunt, saltem jactantur, & violenter percutiunt parietes vasorum, atque interjectarum inanitatum; propterea que nec aptè fluunt, nec aptè derivant ad partes, nec satis depurantur, nec satis secernuntur; sed tali vi, ac impulsu fluunt, & refluunt, vel adeò sistunt, & alluunt, ut instrumenta totiès percussa, & omni impuritate subacta potiùs dissolvant, quàm alant; vel supra naturalem connisum, fædus, unionem, & resistentiam tollant, & intervertant, quemadmodum ex Conjunctis etiam clariùs infra probatur.

Nolo hìc recoquere singulas causas inducentes molestum Uteri sensum, sed eas summatim examinare, quæ ad humores, spiritus, & partes attinent. Liquida igitur, & potissimùm lympha, si plùs æquo detinentur in anfractibus, loculis, ac interjectis villorum porulis, fibras obruunt, & glandulas dilatant, vasa, lacunas, cunctasque inanitates replent, adeòque premunt, ac obsepiunt vascula & nervos; imò ita

ita quaquaversum stimulant nervorum filamenta, ut quodammodò præpediant; & infirment consonam spirituum illustrationem, ac propterea Uterum hebetent, ejusque motum, & sensum depravent; & quamvis ubique excurrant humores, & penetrent, indebitè tamen fluunt, & refluunt, quia in fibrarum inanitatibus ineptè quiescunt, & per vascula proxima ibi intertexta, vel superequitantia, tanta cum inertia moventur, vel ita perturbatè cientur, ut, plusquàm par est, circumprimant nervorum funiculos, ne spiritus de more undatim ferantur per fibrarum spongiosas inanitates. Quamobrem machinulæ villorum Uteri gracilescunt, valdeque distrahuntur, tum quia vividiores particulæ succi nervosi devinciuntur, tum quia lymphæ, ac aliorum liquidorum moleculæ sale, & lentore, tartaro, aliisque pravæ naturæ seminibus scatent, quorum vi, ac noxio contactu tam propagines nervorum, quàm minimorum vasculorum protensiones, ac tiliæ fibrarum nesciunt ampliùs elicere consuetas contractiones & distractiones, nec jugi, sed languida confricatione abradere inutilia, quæ adhærent solidis; hinc omnia Uteri instrumenta sarcina immodica onerentur, vel crassitie, aut nimio humorum coalitu infarciantur, ac macerentur necesse est supra propriam resistentiam. Quocumque igitur modo inertes, ac torpentes humores permutant mixtionem, & indolem, ac diutissimè consistunt, seu veriùs per translationis, aut transpositionis motus aliò non transferuntur, unionem, vim, partiumque resistentiam superant, doloris molestiam ingenerant, Uterique prolapsum pariunt.

Molestus Uteri sensus.

In extremitatibus itaque arteriarum, & venarum Uteri, ſive vaſculorum lympha continentium ſi nimis augentur, vel nimis langueſcunt agentium liquidorum vires, ſi retardatur aut excreſcit impetus peregrinantis ſanguinis; ſi parùm vel multùm vigent occurſus, rugæ, vaſculorum plicaturæ, & reſiſtentiæ, ſi plùs juſto ſecretiones retinentur, vel profluunt; vel denique ſi cujuſvis partis energia augetur, aut infirmatur, in memorato rerum incremento, ſive languore dubio procul extenuatur Uterus, quia momentum reſiſtentiæ partium illius debita proportione non reſpondet momento adaucto, vel imminuto agentium liquidorum, eorum quantitati, velocitati, vel tarditati, mutuis molecularum occurſibus, aliiſque pravis conditionibus; quæ omnia pro ut magis, vel minùs perturbant figuram, proportionem, ſitum, motum, & cohærentiam fabricæ Uteri, unàque intermixtorum fluidorum ordinem, ac viciſſitudinem, magis, vel minus diſſociant, enervant Uterum, ejuſque ligamenta, tam jugi ſtimulorum moleſtia, & congeſti humoris pondere, quàm laxitate, intolerabili infarctu, ac partium proximarum languore.

Defectus relationis ſolidi, & fluidi.

Porrò qui in re medica ſcitiſſimè verſantur, aſſere non hæſitant ope omnium, & ſingulorum motuum, quibus cientur Uteri partes, dum ſua moliuntur opera, jugiter abſumi, aliquid abradi, atque depelli, quemadmodùm in diu tractando, atque elimando ferro ejus ſubſtantia gracileſcit, ac faceſſit in ſcobinam, præſertim ſi motuum, confricationum, ac percuſſionum vi inutilia de more eliminentur; ve-

Motus varii vitiant Uterum.

rùm

rùm si liquidorum necessarius effluxus, & refluxus, qui transit à compositione in dissolutionem, tot contractionibus proportionalibus, tot distractionibus, compressionibus, aliisque inæqualibus motibus sibi mutuò respondentibus non societur, nec talis sit ubertatis, aut forsan majoris, quàm par est, in omni fibra, ac villo, nec talis instaurationis, & momenti, uti requiritur, ad hoc, ut efficaciter pervadat singula stamina, ea protendat, molliat, & conservet; tunc Uteri, & proximarum partium constructio adeò vitiatur, ut gaudere nequeat debita spirituum, aliorum fluidorum vi, & copia, nec illis minimis seminibus, ita in omni Uteri villo consertis, ut vectium referant indolem, vim, & figuram, quorum energia faciliùs inutilium ramenta expellantur, vel contractionum tempore adinstar balistarum secernantur. Evimuerò si hæc Uteri factura est tot vasculis, organis, & machinis referta, totque munita conulis, ac vectibus, quot sunt minima rudimenta villos componentia; si hæc, inquam, fabrica non urgeat, nec satis percutiat inutilia, nec abradat, nec depellat humores ineptos, fuligines, halitus, ac liquidorum veterascentium effluvia, citò nimis occupatur, infarcitur, & quasi maxima sarcina premitur, imò tota fibrarum, ac villorum substantia nunc dissolvitur adinstar filamenti gossipini; nunc facilè tumet, & exsolvitur, nunc pravis humoribus perperam imbuitur, qui in inanitatibus concrescunt, nunc gracilescit, extenuatur, à locove suo movetur; at si diversis inquinamentis ita madet, ut activissimæ agentium liquidorum particulæ vitiosa humorum labe,

Pondus Uterum & ligamenta dissolvit.

be, & solidorum laxitate inficiantur, ac retundantur, illicò universa humorum series inculpata mistione vacat; ac idcirco vires, viriumque momenta minora fiunt resistentiis, motus contractionis, & distractionis in tenuissimis staminibus vasorum, & membranarum, villorum, & fibrarum Uteri, atque totius corporis consueto segniores evadunt, sanguinis circuitus æquo tardior celebratur, illiusque substantia imperfectior progignitur: quamobrem universi corporis textura labefactatur, ac veluti laxatur, quia in interjectis partium loculis, ac filamentorum porulis congeruntur inutilia; ideoque organa Uteri, & totius fabricæ languescunt, nec mutuò congruere videntur, imò actiones, & motus omnes paulatim enervantur.

Difficultas ad motum.

Uteri interdum pars ima orificio Pudendi illabitur, & Ovi figuram æmulatur, simulque Vagina nunc tota, nunc ejus rugosa tantùm pars impurissimis humoribus imbuta, varièque distenta foràs pendula decidit, & corpus quodammodò sphæricum repræsentat. Laxitas verò interna Uteri, molem ejus extra sinum Pudoris non projicit, sed levem in centro Pudendi tumorem constituit, ponderique molestiam circa inguina facit, & sæpè etiam cardialgiam, tensionem, atque convulsionem inducit, quia nervorum, & partium omnium consensus interturbatur. Externa verò Uteri eruptio ab onerosa nimis Gemellorum gestatione, à tussi, pondere, conatu, motusque violentia, ab erosione, vel laceratione ligamentorum orta dolores sævissimos, subitaneumque prolapsum, comite semper hæmorrhagia, progignit.

Causa prolapsus Uteri.

Nec

Nec duntaxat partes Mulierum in regione hypogaſtrica contentæ, ſed remotiores etiam, Uteri Procidentiam ferre poſſunt, ut colligitur ex Hip. de Locis in hom. *Si quis minimam corporis partem malè accipere velit, totum corpus affectionem ſentiet, propterea quod ſingula corporis pars omnia habet, & minima.* Si igitur partes nervoſæ membranoſæ, glandulæ, & vaſa cuncta aluntur, & continent aliquem Morbi fomitem, eumque ad Uterum, vel partes proximas, tanquam ad ſentinam derivant, tunc noxii, ac circumfuſi humoris vi agitantur, irritanturque villi, & fibræ; ideoque ſingula earum filamenta nituntur quocunquè, ac veluti detrita evadunt, tum quia liquida intrà canalia ferè in æquilibrio diu nimis conſiſtunt cum circumfuſo humore; tum quia membranæ jam diſtractæ, & fibræ, & villi reſoluti, aut plùs juſto humoribus imbibiti reſtitui nequeunt; ac idcircò neutrum moveri poteſt, ſed poſt certum tempus liquidum circumfuſum nitetur undique per latera, ignis nimirùm implicatus, & particulæ ſalis, vel alterius pravæ indolis commeabunt, rara reddent vaſa, ea laxabunt; ac propterea minùs ſemper reſiſtent tam liquido contento, quàm liquido circumfuſo, & tunc, neceſſitate cogente, Uteri ligamenta ſe ſe exſolvent.

Ligamentorum Uteri exſolutio.

Scitu dignum eſt, quod obſervarunt eximii Scriptores Theodorus Kerckringius, Bartholinus, Veslingius, Platerus, &c. Vaginam, ſcilicet, variis laborare Morbis, uti laxitatibus, tumoribus, ſcirrho, excreſcentiis fungoſis, nec parùm propendentibus,

Morbi laxantes Uteri ligamenta.

etsi modica, aut nulla sit ligamentorum laxitas; è contra verò si plùs, vel minùs dissolvuntur lata ligamenta, quæ sunt Peritonæi processus à lumbis abscedentes, se seque Utero, & Vaginæ lateribus alligantes, unàque Testes, Tubas, ac alia vasa expendentes; si item laxantur, & exsolvuntur rotunda, quæ ab Uteri lateribus emergunt eo præsertim in loco, ubi Tubæ Falloppii committuntur, vel alio in loco, in quo ab Utero recedunt, ubi teretia ligamenta appellantur; si, inquam, singuli funiculi laxantur intrà duplicaturam Peritonæi, dum infra Abdomen descendunt, vel egrediuntur, aut obliquè excurrunt supra os Pubis, tandemque ubi propè Clitoridem terminant, tunc facilè universa Uteri moles descendat oportet: at si foràs non exeat, & procidat, saltem sedem naturalem mutet necesse est, proindeque modò vergat in obliquum, modò ad latus, modòque ad inguina cum urinæ difficultate, atque alvi suppressione. Sive igitur liquidum perductum in canalium cavitates ligamentorum, vel alteriùs partis Uteri quiescat vi liquidi circumfusi, vel non quiescat, aut aliquid impetus habeat, quo saltem se subducere possit à canalibus, & à liquido circumfuso; si non ratione reflexionis, provenientis ab obice, in quem incidit, saltem ratione æquilibrii, in quod se redigere debet cum liquido circumfuso, tunc sive per unum, aut per alterum, sive per utrumque fiet exsolutio ligamentorum. Est igitur necessarium, ut liquidum ad Uterum, Tubas, Testes, Vaginam, Alas Vespertilionum, atque ad ligamenta non quiescat, sed ex
par-

partibus memoratis lepidè refluat, iterumque fluat per longitudinem, & exilitatem canalium, sin minùs, nihil agit, & urget, vel plùs, quàm decet, agit, elimat, macerat, & exsolvit fibras, quas tangit, & fovet. Quarè membranæ, fibræ, & villi se contrahere, ac restituere non poterunt, dum contentum liquidum intrà cavitatem vasculorum, eorumque inanitates nimis quiescat, vel nimio impetu, ac nimia vi ignis, quo scatet, exurat partes, humores dissipet, cavitatesque deplere, aut nimis implere incipiat; ex quo fit, ut fibræ, & villi raræ texturæ, & jam detriti amittant resistentiam, & laxentur.

Infensa non minùs recensetur nervoso generi, Utero, ac universæ Mulierum fabricæ impura, immodicèque salsa lympha, vel quælibet alia interna humorum congeries, nec non externa aeris humiditas. Nam quibusdam in locis paludosis Uteri laxitatem esse Mulieribus communem fatentur Regner. Graaf., & Rondeletius; quarè vitanda est exundans humiditas, somnusque nimius, qui & calorem retundit, & colluviem liquidorum congerit; imò fugienda est vigilia improba, quæ spiritus resolvit, sanguini, & sero fervorem quendam, & acrimoniam impertit, sensimque impuritati fluidorum, & laxitati Uteri viam sternit. Jure igitur frænanda, imminuendaque est serosa humorum colluvies, ne plùs justo fœdus machinularum, & fibrarum cohærentiam laxet; depellenda item sunt, quæ pondere nimio scatent, quia Uterum exsolvunt, illiusque ligamenta concidere faciunt.

Quæ sunt fugienda

Difficillima eſt curatio tum ſi à vulnere, ab ulceribus, à partu difficili, à violentiaque exſurgat, cùm ſi à laceratione, & laxitate ligamentorum, à tumoribus, vel qualibet alia interna labe progignatur; præſertim ſi Puerperas, & Vetulas corripit, & pars, quæ decidit, putreſcit, & gangrena afficitur; vel, quod deterrimum eſt, ſi ab ea effluat ſanies virulenta, ut lubet Wedelio, Primeroſio, & Sebeſio.

Curationis difficultas.

Studendum ergò eſt Uteri repoſitioni, inflammationiſque remotioni. Verùm ſi flatus, & fæces in inteſtinis adſint, clyſteribus utendum, & priuſquàm operi manus aptentur, aſpergendus eſt Uterus adſtringentibus, indèque illa ſunt adhibenda, quæ Fluorem album [ſi adſit] vel quæ Menſes ſuppreſſos circa Uterum ſtabulantes, cæteraque laxitatem inducentia tollunt.

Mitis curandi ratio.

Demum non ſunt ullo modò ſpernenda peſſaria, circuli, globi, ſubligacula, qualia hærnioſis parari ſolent: eligendus eſt aer purus, & ad ſiccitatem vergens. Alvus ſit ſoluta, exercitationes, ac motus ſint moderati, denique non naturalia cuncta ſcitiſſimè adminiſtrentur.

CAPUT XI.

De Abortu, & Fœtu mortuo.

ANTECEDENTIA.

EST Abortus, auctore Hip. immatura, atque imperfecta utcumque facta fœtus emissio, cujus Antecedentia sunt violentæ exercitationes, terrores, graveolentia, calidorum abusus, aliaque inanitatem, vel plenitudinem inducentia.

CONIUNCTA.

IMminentem significant Abortum mammarum extenuatio, vasorum Uteri solutio, puri, impurique sanguinis eruptio, dolores circa renes, & Uterum cum quodam conatu aliquid ex Utero egerendi.

CONSEQUENTIA.

POst secundum, aut tertium mensem à Conceptione verè Abortum pati posse Mulieres, de earum Morbis statuit Hip. Qualecunque autem sit, quod ante hoc tempus dejicitur, effluxus, aut expulsio communitur appellatur. Quoties igitur post tertium mensem sive vivus, sive mortuus expellitur fœtus, quia tempus est illegittimum, toties fermè Abortus nominatur; quod idem cum Hip. intelligitur de

de ſeptimeſtri atque octimeſtri partu, præſertim ſi fœtus immaturus, qui ſeptimo, aut octavo menſe pellitur, nonimeſtris, aut decimeſtris futurus erat.

Pernotatu dignum eſt ante conſuetum, atque legitimum noni, autem decimi menſis tempus, vivam non rarò excludi fæturam, eamque diu vitali aura frui; cujus rei ratio exiſtere (anima præſide) videtur in vividiſſimis, primiſque genituræ rudimentis in Ovo maximè conſtrictis, concinnèque fæcundatis, ſeu veriùs ſupra prodigium penetratis, mutuòque ſolutis; nam hujuſmodi inchoamenta, quæ invicem comprehenduntur, atque conſtringuntur, etiam in centro Ovi repoſita illicò vi ſpirituoſi ſeminis efficaciſſimum momentum percuſſionis exercentis moveri debent, explicari, atque ita extricari à circumpoſitis minimis comprehendentibus, atque conſtringentibus Ovi ſtamina invicem arctè fœderata, ut tam quæ conſtringuntur, quàm quæ intimiora comprehendunt, explicentur, ideoque comprehendere, & conſtringere deſinant; ac propterea facilè, & expeditè diſponantur ad quamlibet ſuſcipiendam dimenſionem, atque terminum, uſqueque ad debitam partium concinnitatem, contexturam; ſeu veriùs ad maturitatem, atque excluſionem redigantur; quod quidèm variè occurrit, prout diverſa eſt implicatio rudimentorum, imbecillitas, aut robur majoris vel minoris unionis, vel prout varia eſt materies Ovi, ſpirituoſique ſeminis conditio, conſpicua quandoque fiunt ſtamina Ovi, quotieſcumque alacri percuſſionis vi ſemen effunditur, & ab illo penetrantur; ſuſcipiunt namque incremen-

tum

tum, antequam per alibilis ſubſtantiæ appoſitionem augeri incipiant, ut in Pulli generatione contingere deprehenditur, nec non in ſeminibus plantarum, priuſquàm ſuas emittunt radices, eaſque in terram ad neceſſarium hauriendum pabulum defigant. Ex iis colligitur fœtum memoratis exordiis compactum, atque imbutum ante ſtatutum tempus ſuam nanciſci perfectionem, atque opportunè decidere, quemadmodum in fructibus evenire ſolet; quorum alii, licèt in eadem planta, aliis longè citiùs maturitatem perfectam poſtquàm ſunt aſſecuti ſpontè ab arbore decidant oportet.

Si igitur ſuadente Hip., qualis terra arboribus, ità eſt venter animalibus, porrò teneritudo partium fœtus opportunum non raro incrementum, ac veluti ante tempus debitam firmitudinem acquiret, dum ab Uteri apto loco, & à ſubſtantia alibili blando calore referta per arterias ſpermaticas, atque hypogaſtricas ad ſinum ſuum delata urgentur, foventurque quot quot ſunt partes geniturae, quæ conſueto citiùs explicantur, & coaleſcunt ea ferè ratione, qua parvum ſemen, aut frutex in terra benè effoſſa, ſtercorata, & aprica. Quarè fœtus maturitatis terminum tunc jam adeptus, & loco improportionatus factus exitum quærit, impetum quoquoverſum facit, indèque adducit Uterum in ſpaſmodicas quodammodò contractiones, diſrumpit involucra, & poſtremò in lucem prodit ante tempus communiter firmatum.

Si res ita contingat, quemadmodùm ſupra indicavi, Abortus minimè cenſetur, cum nullum extrin-

trinſecum adveniens, nullumque turbulentum humoribus, ac ſpiritibus circumfuſum, aut partibus Uteri inhærens alteret motum inteſtinum villorum, ac relationem intercedentem inter machinas vaſorum Uteri, atque fœtus; quod certè accidere nemo ignorat, ope cujuſcumque exercitationis violentæ, in qua muſculi univerſi, membranæ, cæteræque partes corporis Mulierum mutuò premuntur, & quaquaverſum urgentur, non ſecus ac humores intra vaſa; hinc ratione indeſinentis preſſionis, ſtimulorum, atque mutuæ irritationis, materies fluidorum deliteſcentem ignem ſolvit, & à diſtantiſſimis etiam partibus cum eodem ad Uterum derivat; cujus membranas inſtigat, laceſſit, tendit, convellit, ac veluti uſtulat, & perterebrat, omnes fibras, & villos vaſculorum Uteri, modòque ad unam, modò ad alteram partem fluit, eamque divellit, illoſque villos undequaque violenter contrahit; ac propterea per totum Uterum ita ſuccedit, & diffunditur rapida vis contractionis, ut momentum ejus ad locum divulſionis vergat, & plùs æquo urgeat quicquid eſt liquidum, cujus cauſa vaſcula per internam Uteri membranam repentia ſtimulantur ſupra propriam reſiſtentiam, ex quo fit, ut facta laxitate, ac dilaceratione vaſculorum vi nimiæ exercitationis, & velocitatis liquidorum particulis mobilibus ſcatentium exprimatur multum ſanguinis, cujus nimia privatione vel moritur fœtus, aut violenter depellitur vivus.

Cum itaque ob inæquales in diverſis vaſculis, ac villis vires, preſſiones, violentias, occurſus, humorum morulas, exſolutiones, atque laxitates fiant

va-

varii undique fluxilitatis gradus non eodem proportionali modo uti possunt singulæ partes Uteri, nec resistere confricationibus, viribus, ac resistentiis, ita ut fluxus & refluxus liquidorum exactè respondeat partibus Uteri, & fœtus; ex quo fit, ut aliæ partes plùs, aliæ minùs urgeantur, premantur, & dissolvantur; ac propterea genitura per compressionem, atque irritationem à liquidis quaquaversum inditam, & à vasculis exterioribus versùs Uteri interiora persolutam violenter circumprimatur; ac veluti nimio pondere, & infarctu coangustetur, seu veriùs in minorem veniat Uteri superficiem, oneretur, atque suffocetur.

Si ergò corpusculum fœtus, ejusque folliculus ex villis constans maxima teneritudine ditatis per stimulum distantissimæ etiam cujuslibet partis astruentis corpus Matris stimuletur priùs aliquantulùm, indè concutiatur, demùm valdè agitetur; si inquam, quicquid fluxile item continetur in remotissimis partibus æquo citiùs irruat tam in membranas Uteri, quàm in fœturæ involucra, atque adeò spatia hìc mille occurrentia in villis, fibrisque vasorum, intrà quæ humorum materies improba colligi potest, ita laxentur, & naturali plùs tumeant, ut per tensionem, villorumque infarctum liquida sistant, nervos, & membranas quodammodò alluant, & tendant, simulque contrahant, & tendant cætera vasa intertexta, ac distributa per singulam partem Uteri, in qua fit vasorum unio, tunc violentiam, conatum, & dolorem patiuntur Uterogestantes; imò discinduntur vasa memorata cum incredibili jactura, turbatione,

& quandòque etiam fœtus repentina expulsione. Tunc certissima res est, motus acceleratos, & violentos cùm in parte, tum in toto nervos summo afficere languore, & musculos tremore, concussione, ac varia dimotione, qua non solum externè concutitur corpus, sed etiam internè; vasa nimirum intercedentia inter Uterum, & fœtum, ac illius involucra summoperè invicem adversantur, oscillant, laxantur, seu veriùs supra debitam resistentiam lacerantur; ex quo fit, ut humores jactati, & concussi per vasorum emissariola ubertim secernantur, undè plagulæ illæ millies refricatæ jugem calorem ferunt, sanguis indesinentur urgetur, permutat indolem, privatque fœtum necessario, atque congruente pabulo. Adde, tunc potissimùm fieri magnam absumptionem, seu spirituum dissipationem, præsertim, si accedant choreæ, ponderis elevationes, percussiones, &c. quæ excitant vehementem nervosi generis concussionem, villorum conatum, & tremorem, simulque expressionem omnium tiliarum, quæ nimis nituntur, & impelluntur ad flexiones undarum; atque ita vividè contremunt, ut molesta fiat spirituum fluctuatio, eorundemque evaporatio, & consumptio, ut infra clariùs constabit.

Violentes Exercitationes, & conatus. Ex iis rusus patet, memoratos exercitiorum conatus minuere debitam quantitatem sanguinis, eumque disponere ad quamlibet mutationem, potissimùm si immodicè concutitur corpus, seu quod est idem, si immodica stimulorum irritatione laborant musculi, & nervi, quorum causa universum corpus eò magis infringitur, calefit, & exsiccatur, quo

quò magis humores æſtuant, ſpiritus concitantur, evaporant, eorumque motus minùs æquo ſingulis machinulis reſpondent; tunc procul dubio per nimiam hanc ſolidorum, & fluidorum agitationem perperàm dimovetur, liquatur, forſanque abripitur id, per quod fœtus nutriri, augeri, ſervarique poteſt uſque ad debitum ſuæ maturitatis terminum.

A' ſubita item terroris violentia, ſpecierumque terribilium vi percuſſionis adeò tenduntur, & tremunt nervi exquiſitiſſimo ſenſu ſcatentes, adeòque repente divelluntur villi ope ſpiritus jactati, atque diffuſi in ſingulis eorum minimis, ut molecularum tremor, commotio, preſſio, mutuaque exagitatio ſuſcitetur; & quamvis nervorum, ac fibrarum funiculi aliquantulùm roboris, & reſiſtentiæ in propriis filiis, & filamentis exerant, tamen terroris ſpecies illicò in nervos irruentes adeò concitatam percuſſionis vim impertiunt muſculorum, ac nervorum vectibus, ut non ſolùm omnem amittant reſiſtentiam, ſed ſpiritus etiam vividiores, hebetes, atque confuſos reddant in qualibet inſtrumentorum textura, ac temperie, eoſque quodammodò in fugam conjiciant, & omninò interturbent. Si igitur procelloſæ turbantur undæ ſucci nervoſi, mutuoque affrictu, atque attritione concutiuntur nervi, univerſa ſimùl corporis fabrica variè quaſſetur oportet; ſi item violenter dimovetur, atteritur, ac quaquaverſum urgetur ſuccus nervorum, nec ſanguis, nec aliquid fluidorum aptè reſpondet Utero, & fœtui, ideoque tenella moles non poterit quin violentiam patiatur; imò non poterit quin adinſtar naviculæ in medio

Terror.

maris adverſis ventis, & undis jactatæ, naufragium faciat; tandem non poterit fœtus adhærens vaſculis Uteri, ejuſque membranis, quaſi fructus ſuæ plantæ, quin turbulenta ſpirituum vi excutiatur, & corruat ante tempus.

Tam rara interdùm tamque mollis obſervatur contextura Mulierum, ut nervi, eorumque papillæ univerſo cutis involucro adſitæ per quamlibet etiam minimam titillationem agitent totum corpus, quod magis, vel minùs acri, aut retuſo ſenſu donatur; ſeu, quod recidit in idem, majorem, aut minorem vellicationis moleſtiam perſentit, prout eſt magis, vel minùs mollis, ac rara, denſa, aut rugoſa cutis, nervorum, papillarumve ſubſtantia. Quare titillationis ſenſus mollioribus eſſe ſolet omni fere tolerantia major; quia tam vividè irritat nervorum capitula, eorumque protenſiones ita ſolicitat, & convellit, ut ſpirituum undas, liquidorum indolem, miſtionem, nec non partium Uteri unionem æquè violet; ac propterea ſupra omnem reſiſtentiam omnia turbet, jactet, concutiat, atque fœtum dejiciat.

Nervorum irritatio.

Hoc idem prorſus probant odores acriores, graviores, ac vividiores, quorum tenuiſſima effluvia adinſtar ſtimulorum ſenſum olfactus non ſolùm irritant, ſed acriter exprimunt proceſſus mammillares, eoſque contactu, atque vi percuſſionis ita confricant, & penetrant, ut totum cerebrum, ac nervoſa ſubſtantia urgeatur, quatiatur, atque convellatur; quod totum dilucidè facti ratio oſtendit, dum odoroſi corporis effluvia ſoporatos ſenſus excitant agitando ſpiri-

Odores graves.

ri-

ritus, dum omnigenos villos concutiunt, & ab iis dimovent, atque abripiunt aliquid, aut dum per eoſdem villos concuſſos liquida cuncta urgent, & interturbant, quorum omnium vi, atque perturbatione ceſſat omnis relatio, quæ intercedit inter humores, ſpiritus, & Uteri partes; &, quod rei caput eſt, inter Uterum, & fœtum, quorum agitatio adeò potens eſt, ut violentur relationes latentes inter Uterum, & fœtum, interque humores Uteri, & geniture, demum inter vires, & reſiſtentias unius, & alterius; ex quo fit, ut eorundem vaſa, vaſorumque fulcimenta percutiantur, divellantur, ac propterea fœtus immaturè dejiciatur, ut in hyſtericis affectibus ſæpiſſimè contingit.

Quoniam verò poſt longum calidorum uſum ſanguis adauget velocitatem uſque ad certum gradum, qui requiritur ad ſuperandas partium vires, ac reſiſtentias, ſupponitur calidam materiam diu fluentem, & refluentem per arterias, & venas impetum, & fervorem producere, ideoque in dies magis velocitatem, & ſolutionem augere; quare ſanguinis particulæ maximè in ſuis partibus liberæ, & ad ulteriorem attritionem maximè faciles adeò in circuitibus ſuccedentibus privantur cohæſione, naturali motu, dulcedine, figura, atque debita miſtione, ut areſcant, vel amittant humiditatis illud, quod Utero, & fœtui videtur congruere. Quarè conſentaneum videtur velocitatem, ſolutionem, & confricationem liquidorum igne refertiſſimorum diſponere totam fluidorum materiam, & præſertim ſucci nervoſi ad elimandas, perterebrandas, ac veluti uſtulan-

Uſus calidorum.

landas partes laterales vaſorum, vel ad ſuſcitandum tumultum in villorum inanitatibus, cujus rei cauſa non ſolùm nimio conatu exſolvuntur, & quodammodò arent machinulæ fibrarum; ſed adeò minuitur, intervertitur, ac extenuatur quantitas humorur, ut prorsùs inepta evadat nutritioni fœtus, qui paulatim tabeſcit, vim patitur, eliquatur, & ante tempus ſtatutum depellitur, ut ſæpè contingit in febribus.

Plenitudo nimia. Data plenitudine vaſorum Uteri per quamlibet directionem, & vim difficilè à mutuo contactu dimoventur humores, quorum fluxus, & velocitates ſi non omninò per univerſum corpus intercipiuntur, ſaltem non parùm retardantur in Utero, quotieſcumque cuncta vaſorum genera plùs æquo adinvicem comprimuntur, & urgentur; ideoque liquidorum particulæ eo tempore nec ſatis atteruntur, nec opportunè fluunt ad ſingulas fœtus, Uteri, atque Mulieris partes, quæ proindè conſuetum nutritionis, perſpirationis, ſeparationis, ac ſecretionis ordinem pergere nequeunt; nam vires ſuperſtites fibrarum contractilium, & undique infirmæ fluendi, ac refluendi rationes mutuò non reſpondent, nec naturaliter agunt, tum quia vaſa humorum ſarcina onerantur, infarciuntur, imò eryſipelate ſæpiſſimè vexantur, & concidunt, tum quia mille modis intorquentur, ac propter eà humores è vaſculis liberè non effluunt tam ob occurſus, rugas, ac mininias pliculas vaſculorum præpedientium undulas ſpirituum, profluentiumque liquidorum velocitate, quàm ob ſpiritus ferè circumfuſos, atque ſopitos; ſive ob hu-

humores debitas non exercentes vires, quia ita implicantur, atque irretiuntur adinvicem, ut resistentias non valeant superare: à sola igitur plenitudine potissimum sejungitur, & à suo termino dimovetur quodlibet Uteri vas; omnis fibra, imò omnis machinula villorum, & tiliarum exsolvitur, succus item nervorum evadit consueto dilutior, & tardior, totaque humorum quantitas contaminatur; ideoque cohæsio, & mixtio illa rapitur, quæ Utero, & fœtui videtur congruere. Quamobrem Uterus, & membranæ involventes fœtum nimis fluidorum cumulo saturæ circumprimunt supra resistentiam, ac teneritudinem partium geniture, eamque non raro extingunt; seu veriùs Uteri partes, aut latera vasorum nimis pressa, ac veluti humorum stimulis agitata in ipsa liquida valdè nituntur, quæ violenter compressa rursus majorem vim, & conatum inferunt fibris, & villis; atque adeò adinvicèm premuntur, & agitantur, ut ex illa mutua pressione, agitatione, atque conatu nimìs introrsum concutiantur, & extrorsum nitantur, atque urgeantur; ac propterea dolores, angustiæ, & cruciatus exsurgant, imò cohæsiones, & mistiones tollantur; uno verbo, ut discindantur vasa latentia inter Uterum, & fœtum, ac idcircò genitura omni stimulorum vi, & conatu quaquaversum jactata, solutis claûstris, ac dilaceratis involucris dejiciatur.

Quantum autem Uterogerentibus ferat jacturæ inanitio, ostendit rei eventus; nam deficiente victu, imminuatur oportet debita quantitas liquidorum, quæ ad partes instaurandas, jugesque vires produci-

Inanitio. cendas requiritur ; quinimò imminuatur indè necesse est momentum, quod ad conservandum sanguinem in suo naturali circuitu videtur opportunum : si igitur victus in totum deficiat, nihilque substantiæ suppeditetur sanguini, gradatim vires languescunt, simulque liquida, & solida absumuntur ; hinc crebrescunt liquidorum velocitates, & contractiones, quarum si non omninò abripitur, saltem dimovetur quicquid hæret ductibus, & inanitatum lateribus, ideoque refrigeratur corpus, & exsiccatur; imò humores omnes, intima etiam eorum dimotione, ad quamlibet novam, semperque noxiam compositionem, ne dicam dissolutionem disponuntur; avolant nempe priùs humidiora, mollia, atque cedentia, indè verò, quæ plùs, vel minùs hærent, deteruntur, eliquantur, atque dissipantur. Quò magis ergo quocunque evacuationum momento, aut victus carentia imminuitur, atque turbatur apta fluidorum quantitas, à qua educitur certa vis contrahens villos, musculos, & vasa, eò magis violantur motuum leges, humorum, ac partium reciprocationes; ac propterea minùs, quàm decet, reparatur fabrica Uterogerentis, & adhuc minùs instauratur, servaturque fœtus, cujus partium tenella contextura facilè languescit, concidit, solvitur, tabescit, citissimèque privatur viribus, ac resistentiis, ex quo fit, ut moriatur, ac ejiciatur.

Imminentem Abortum æquè significant lactis *Lactis carentia.* carentia, ac ejus uberrima copia. Nam teste Hip. 5. aphoris. repentina mammarum exsiccatio ostendit genituræ imbecillitatem, atque interturbationem flui-

fluidorum omni relatione carentium, seu veriùs dissipationem materiæ, ex qua lac generatur, & fovetur genitura, quæ debito frustrata alimento sensim contabescit. Redundans verò lactis copia indicat laxitatem fœturæ, vel imbecillitatem partium non valentium materiam pabuli in substantiam convertere. Pravæ item naturæ humores nec Puerperam, nec Fœtum aptè alere possunt, & multò minùs Uterum respergere; sed adeò in nervis Uteri molestum excitant sensum, spirituumque variam commotionem simulque fluxum, & refluxum undarum ita inordinatum, ut villi astruentes glandulas, tubulosque mammarum stimulis variis vexentur, tendantur, atque occludantur; vel summam modò producant extenuationem, modò pressionem, & laxitatem; &, quod rei caput est, Utero exsolutionem, & genituræ fotus, atque spirituum carentiam impertiant, ideoque interitum, atque Abortum. *Lactis ecdnudantia*

A qualibet itaque prægressa violentia, uti mulierculæ rerum omnium imperitæ satis intelligunt, vel à quocunque humorum cumulo plùs æquo congesto versùs Uterum, aut quamlibet aliam proximam, vel remotam partem in abdomine contentam irritari, atque gravari constat renes, vasa Uteri, aliarumque finitimarum partium; quæ dum variis stimulis, variisque coucussionibus, ac pressionibus torquentur, maxima excitetur oportet liquidorum facilitas ad fluxum etiam supra resistentiam innumerabilium occursuum, inæqualitatum, rugarum, atque plicaturarum vasculorum, nunc variis viribus, *Abortus ab humorum cumulo. vel ab aliqua violentia.*

nunc diversa humorum gravitate, motu, & copia, præsertim propè locum unionis, in quem veniunt arteriæ, & venæ Uteri cum venis, & arteriis umbilicalibus, quæ sensim elimentur, laxentur, convellantur, atque omninò solvantur necesse est; quandoquidem à majori, quàm decet, fluxu fluidorum, vel à nimio pressionis conatu, ac eorundem pravæ indolis congerie tollitur particularum cohæsio, nexusque machinularum astruentium vasa, quæ hìc alium terminum nanciscuntur, alibi paulatim excluduntur, & lacerantur, ideoque fœtum debito pabulo vacuum relinqunt. Imò si dolores valdè insæviant, adeò augentur liquidorum vires, ac velocitates, ut eorum tenujores particulæ majori in copia affluant versùs partes stimulis irritatas, concussas, atque jactatas; easque idcircò infarciant, exsolvant, ac proindè vasorum oscilla, eorumque contexturam, & fulcimentum lacerent cum majori, aut minori exitu sanguinis, prout major, aut minor est stimulorum vis, liquidorum velocitas, aut emissariorum dilatatio; ex quo fit, ut sanguis à vasculis erumpens interjiciatur inter Uterum, & involucra fœtus, ibique naturali privatus mixtione, eò magis Uterum dilaniet, & vexet, quò magis humor abundat particulis impetum facientibus, aut qualibet alia prava differentia scatet, quæ omnia, & singula premunt, & enecant fœtum, ejusque expulsionem ferre solent.

Dolores à variis causis, &c. Dolores ergò, morsus, & stimuli promovere solent fœtus expulsionem, cum à variis nascantur causis, ut à venenis, à medicamentis, ab eduliis noxiis,

xiis, vel à diversis liquidis, ventriculum, & intestina turbantibus, quæ facilè convellunt quicquid nervos componit, musculos, & membranas, imò quicquid astruit totum abdomen; ex quo fit, ut horrores, cibi fastidium, oris amaritudo, ac febriculæ appareant, quæ eò magis invalescunt, quò magis dilaniantur vasa, inflammantur, & scinduntur; imò vascula lymphæ, in quibus congeritur multum illius acris humoris, lacerantur, lataque in copia ab illis exit, & tunc certè convelluntur universi villi contractiles, violantur motus, & vasorum textura, atque adeò concutitur, contaminatur, & læditur fœtura, ut citissimè moriatur, & ante tempus depellatur.

Quemadmodùm fructus ferè omnes per varias mutationes progrediuntur, & citiùs, vel tardiùs maturescunt, & concidunt, prout plantæ in fertili, aut sterili, in magis aut minùs aprico, sicco, sudo, & opaco solo existunt, vel quatenus terræ ucci aptæ, vel ineptæ naturæ parùm, vel multùm, & forsan plùs æquo arbores, eorumve fructus fovent, ita Mulieres, & genituræ varias subeunt mutationes, dum humores per vascula innumera, variis viribus, impulsibus, velocitatibus, ac particularum cohæsionibus continuo fluxu transeuntes, seu veriùs in mille Uteri, atque viscerum implicatissimis diverticulis abundè stagnantes mixtiones nanciscuntur noxias, nec non contactus, & relationes debitas, aut indebitas, seu veriùs iis omninò privantur; ex quo fit, ut tam Utero gestantes, quàm genituræ modò nutriantur, & serventur, modò contaminentur, & valdè lædantur, quin imò ut tene-

ritudo partium fæturæ supra omnem resistentiam lædatur, tandemque enecetur, & depellatur.

Suadent verò observationes, Viscerum contexturam vitiosam diversimodè inficere Uterum, & humores violare, fœtumque inæqualiter perdere; nam de re hac perhibuit testimonium Mulier urbana, quæ quoties concipiebat, toties quadam bilis rubigine, aliisque fœdis maculis in universum deformabatur; indè, quod plurimum erat, fœtum usque ad quartum Mensem solummodò gestabat, eumque mortuum semper ejiciebat: accidit tandem miserrimam Mulierem post quintam diem novi abortus interiisse, in cujus cadaveris cisti fellea inveni lapillum adinstar nucis avellanæ, & in Jecore, ejusque glandulis non mediocrem duritiem, cujus causa amaricantis succi semina non secernebantur; ac propterea solida, & liquida cuncta tum Pregnantis, cùm fœturæ adeò inficiebantur, ut sibi ipsis mutuò non responderent ampliùs; quarè diutina hac labe contaminatus Uterus, & corpus Mulieris nequibant pabulum congruens, aptumque locum suppeditare genituræ, imò eam valdè violabant, deformabant, atque mortuam pellebant.

Viscerum textura læsa in mulierem urbanam.

Ut igitur ab abstrusissimis, & implicatissimis hisce causis me expediam, de Uteri solùm angustia, & de quibusdam aliis Morbis Uterum prementibus, irritantibus, ac fœtum dejicientibus ero solicitus; illius namque angustia, cum modò fiat ab inflammatione, & scirrho, modò ab ascessu, aliove tumore, modò demum ab irritatione, atque contractione fibrarum, quodammodò assimilari videtur manui com-

Uteri angustia.

comprimenti digitos, uti faciunt Pueri, dum prunarum, & cerasorum nucleos (digitis posticè compressis) longè projiciunt: hanc itaque Uteri angustiam esse causam abortus cognovit etiam Hip. sic scribens de Superfætatione: *Mulier si quæ concipiat, & frequenter, sed fœtus bimestres, trimestres, aut quadrimestres, atque etiam vetustiores stato tempore semper, & certo excutit; illud est referendum ad Uteri angustiam, quæ augescentem fœtum ampliùs continere non potest, & hoc tantò faciliùs evenit, quantò major est fœturæ numerus.*

A' quacumque itaque Morborum vi premente Uterum, humoresque contaminante, aut partes Utero proximas exsolvente infirmantur fœtus, sensique extinguntur, ut plerùmque accidit in Morbis acutis, in lue venerea, dysenteria, nimiisque profluviis, in syncope, epilepsia, vomitu tenesmo, &c. quorum causa, & momento Uteri fibræ stimulis irritatæ, concussæ, & mirum in modum jactatæ, proportione debita nec sibi invicem, nec humoribus respondent; quare cohæsionis vis cum in singulo villo major, aut minor sit, quàm in alio, magis, vel minùs cohæsionis nisus suis conditionibus carent; motus igitur cum fiant ab inordinata spirituum fluctuatione, sanguinisque diffusione improba cum jugi tremore nervorum, atque villorum contractilium, imprimunt per singulam undarum fluctuationem, atque spirituum, & sanguinis diffusionem tantum languoris, quantum decet, memoratis Uteri, aliarumque membranarum fibris, ut continuis exclutionibus, stimulis, egerendi, vomendique conatibus

A' quacumque Morbi vi oritur abortus.

bus, ſolvatur fœdus vaſorum Uteri, ſimulque percuriatur, & agitetur genitura, ac proindè depellatur.

Rationes quæ Abortum evincunt.

Quot quot ergò ſunt Uteri Morbi fætum excutere nituntur, uti eriſipelas, flatus, denſitas Uteri, & viſcerum, vulnera, diſtorſiones, relaxationes, &c. quæ omnia, & ſingula adverſantur conſervationi fœtus, cujus partium teneritudo illicò contaminatur noxia humorum temperie, quorum ſemina aptari nequeunt interjectis inanitatibus, poris, & meatibus machinularum Uteri, & fœtus; imò utriuſque ſtamina violenter quandoque penetrant, uſtulant, elimant, & ſolvunt, prȩſertim ſi ignis naturam æmulantur, ſeu veriùs, ſi eorundem liquidorum moleculæ ſint nimis aqua ſalſa ſubactæ, ac veluti lympha adinſtar aquæ Sygiæ imbutæ. Utroque igitur modo naturalis alimenti ſuppetias non ſolùm non præbent geniture, ſed laxant membranarum, & Uteri vincula, omne tollunt fulcimentum, ac facilè diſrumpunt involucra fœtus. Quare liquida, quæ agunt per corpora fibrarum, Uteri genituræ, & membranarum, ſive tarde, & languidè agant aut lenteſcant, ſive momento citiùs moveantur, commeent, aut ſemper magis atterantur, illico diſſolvunt tam Uteri villos, quàm fibras aliarum partium vix ulla cohæſione, hoc eſt, ita eas è ſuis locis dimovent, ut totam fabricam violent, & depellant; ſint ergò liquida hæc majori, vel minori vi inſtructa, quæcumque illa ſint, exſolvunt Uterum, & fœtum divellunt, quia vix ulla reſiſtentia Uterus, & fœtus eis reſiſtunt.

Animi & Corporis quies.

Ne qualibet igitur de cauſa, etiam leviſſima, Mulieres debiles, humidæ, raræque Texturæ fœtum

elabi ſinant, integra corporis, & animi quiete fruantur oportet, indèque recta victus ratione, ſingulisque auxiliis adſtringendi vi præditis, &c.

Adnotatione dignum eſt, ante Conceptionem eſſe corporis, atque Uteri Morbos removendos, ut plethoram, pravam temperiem, tumores, ulcera, & ſimilia: Præſente etenim plethora, etiam in Gravida, ſanguis detrahendus eſt primis menſibus bis, aut ter, ſi opus fuerit, ſed modica in copia. ***Sanguinis miſſio.***

Variæ deſumuntur indicationes, & varia propinantur remedia, uti videre eſt apud Riverium, Platerum, Bonettum, Etmullerum, &c. quæ brevitati ſtudens omitto, ut Medicinam faciens illis ad libitum utatur. ***Indicationes variæ.***

Ex allatis hactenus quiſque in ſententiam adducitur, ut credat, cauſas facientes Abortum, ac partum difficilem poſſe extinguere fœtum, cujus benè confecta moles, cum ad determinatum tempus ſui exitus pervenerit, omneſque vires, ac Matris conatus eludat cauſa indebitæ, ac præpoſteræ figuræ, abſque eo quod artis ullo, aut peritæ manus auxilio in meliorem ſitum convertatur, priùs violentiam patitur, indè moritur, nec ſolus Infans, ſed quandoque Mater ſimul, & fœtus, vel ſola Mater extinguuntur.

Toties autem mortuus cenſetur fœtus, quoties eo, quo Mater illum ſentiebat, motu privatur; vel quandò oneroſa ejus ſarcina in toto ventre ſenſum doloris producit, ſeu veriùs, dum Mulier in Utero habens, & de latere in latus ſe ſe convertens adinſtar lapidis fœtum dilabi percipit. Tunc regio abdo- ***Fœtus mortuus.***

dominis destituitur nativo calore, languescunt vires, oculi fiunt concavi, facies, & labia pallent, extrema livent, frigescunt, Mammæ extenuantur, & flaccescunt; qui imò, putrescente fœtu, modò icores saniosi, modò fœtidi ex Utero emanant, & effluvia male olentia ab universo corpore spirant; verùm si fœtus mortuus citò non excluditur, febres, lipothymiæ, sopores, & convulsiones occurrunt; at si diu nimis in Utero servatur Infantis corruptæ partes, atque officula sæpè per Uterum, raró per alvum, interdum per vesicam, atque umbilicum pelluntur, uti de re hac testimonium perhibent historiæ, quas collegerunt Schenchius, Fabritius, Hildanus, &c. Demum si mortuus fœtus non excluditur aptis auxiliis, uti de partu difficili, atque perita manu est extrahendus, &c.

De nonnullis Uterogerentium Symptomatibus.

NE mens in re tam dubia, atque involuta gestationis Uteri à veritatis via deflectat, operæ pretium est intelligere, prægnantem Uterum in dies magis exsolvi, ac madefieri, universamque corporis constructionem diversis, ac penè dixerim innumeris symptomatibus vexari; tum quia Uterus omnigenos humores turbat, & inquinat, tum quia illis plus æquo imbibitur, ac oneratur; ideoque magnam fovet semper affectionum seriem, eam ubique excitat, & quòcumque diffundit.

Non raró quæ in Utero habent, laborare videntur febre, dolore articulorum, cibi fastidio,

Pi-

Pica, nauſea, & vomitu, aliquandò torminibus ventris, alvi fluxu, teneſmo, capitis, ac denti um dolore, vertigine, tuſſi, reſpirandi difficultate, palpitatione cordis, defectu virium, lumborum, ac interiorum partium moleſtia, ac tibiarum tumeſcentia, hæmorrhagia narium, Uteri, atque hæmorrhoidum, effluvio lactis, doloreque mammarum, Hydrope Pudendorum, tumore ſœdematoſo, urinæ incontinentia, vel ſuppreſſione, demum Uteri procidentia, cutiſque univerſæ pallore, &c.

In quacunque itaque corporis habitudine, ætate, atque temperie, in quavis vaſculorum complicatione, firmitudine aut laxitate, in majori villorum, ac fibrarum fœdere, in omni nervo, ac nervorum protenſione, in ſingula membranarum criſpatura, vaſorumve glomere, & fulcimento, imò in cunctis glandulis, Utero, atque viſceribus adſitis plùs, vel minùs congeritur fluidi, hìc infarcientis, illic alluentis, hìc irritantis Uterum, ſimulque proximas ejus partes, illic penetrantis, vel diſſolventis combinationem machinularum totius magiſterii, ideoque lædentis, ſive convellentis nervos; ac proinde removentis cunctas ſolidorum moleculas à debito contactus termino, & fluidorum ſemina, potiſſimùmque ignis, à nativa mixtione, à mutuo conniſu, ſive agendi alterna vi, quam viciſſim accipiunt, ſeu, quod eſt idem, à debita reciprocatione. Quò magis igitur madeſcit Uterus, ſalibus nempe ſylveſtribus, impuriſque liquidis malæ indolis cumulatur, eò magis igniculis privatur, partium apto con-

nisu, nativa temperatura, fluidorum alacritate, & impetu, uno verbo, tota Uteri factura summo corripitur vitio, & simul cum corpore vim patitur non mediocrem. Res porrò elucescit, quum Uterus est prægrans, statoque tempore menstruis purgationibus non defæcatur.

Probabile enim est nonnullas Mulieres à conceptione ita alterari, ut singulæ Uteri partes virili semine sparsæ turbentur, simulque humores per venas, atque arterias sprematicas fluentes, & refluentes, ac proinde lymphæ, & spiritus nervorum par vagum accolentes sæpissimè mutent motus, & vires mutuò priùs respondentes, ideoque nunc levi, nunc valida irritatione, & quandoque convulsivo tremore tentetur tota fabrica: ex quo fit, ut intercipiatur naturalis humorum impetus, ut depravetur particularum figura, earum permutetur gravitas specifica; brevi, ut alteretur priùs coctio, contaminetur mixtio, & paulatim quatiantur sales sylvestres, unàque excitentur ignis particulæ, quæ priùs delitescebant; hinc aliæ, & aliæ, quasi à tumulis suscitate tumultum faciant, concutiantur, atque febrile creent incendium. Probabile, inquam est, tempore gestationis paucam esse relationem solidi, & fluidi foventis, pangentisque Uterum, paucam item quibusdam Mulieribus esse reciprocationem Uteri, atque partium universi corporis; nam pleno Utero, nulla ferè pars est, quæ non inficiatur, & à propria non recedat contexturà; nulla est fibra, aut villus, qui non relinquat primum conatum, ac resistentiam; nullus est nervus, qui miris modis non proritetur, ac veluti retra-

Cur febris.

trahatur à ſcabris ſalium fragminulis, à liquidorum inquinamentis, & præſertim à lympha, ſale, ac vitriolo circumfuſa, aut aliis pravis elementis refertiſſima; diffunduntur facilè vitioſa hæc, & plùs æquo congeſta ſemina, & ex mora in Utero, in Vaginæ lacunis, ac in viſcerum glandulis, ex mora in interjectis ſpatiolis, ac ſpongioſis inanitatibus tendinum, ac membranarum tegentium oſſa, & articulos majorem acorem contrahunt, & adinſtar aquæ fortis erodentia evadunt, ac propterea vellicant, & pungunt, dolidèque laceſſunt memoratas articulorum partes. *Dolor articulorum.*

Propagantur ubique inquinamenta Uteri, & diffunduntur ad ſingulam corporis machinam, & præſertim ad glandulas in ventriculo, inteſtiniſque locatas; quæ quidem ſub preſſionum prælo poſitæ, concuſſæ, & jactatæ eructant in ventriculi cavitatem ſuccos ſatis enervatos, aut vitriolatis ſalibus ſaturos; qui ex diutina mora aut fiunt evanidi, aut erodentes, unde coctio læditur, & omnes, quot ſunt continuæ partes, atque contiguæ mediis nervis jugiter affectis adeò compatiuntur, ut nequeant motus contractionis, diſtractionis, & circumpreſſionis coctioni reſpondentes abſolvere. Reliqua verò ſymptomata, quæ circa ventriculum, & inteſtina manifeſtantur, emergunt, & ipſa ab Utero tumoroſo priùs, indè ab humorum impuritatibus producentibus tum Uteri laxitatem, tum nervorum affectionem, cujus vi contracti nervi, convulſi, & quovis modo concuſſi abbreviant vaſa, eaque ita tremula reddunt, ut turbent liquidorum motum, vertant moleculapum figuram, & miſtionem tam in viſceribus, quàm

in glandularum folliculis, ac proindè intervertant ordinem ſeparandi, atque confundant humores trituationi deſtinatos; ideoque eliminent in ventriculum per propria emiſſaria morboſam fluidorum colluviem, quæ aciditate, qua ſcatet, & ſalibus quibus abundat, in faucibus ſiccitatem, & ardorem, in ſtomacho irritationem, nauſeam, & vomitum, in inteſtinis humorum noxiam congeriem, denique flatus, rumoroſos rugitus, tormina, & quandoque alvi fluxum, atque teneſmum.

Pica, nauſea, vomitus, diarrhęa, & teneſmus.

Sępe autem in cerebro retardatur motus fluidorum, quum Uteri geſtatio ut plurimùm ſarcinam pariat liquidorum, quorum benignior, tenuiorque pars altera abſumitur in generatione fœtus, altera in illius nutritione impenditur, & relinquum, quod Pręgnantibus ſupereſt, faciliùs aceſcit, & ſalibus ſemper magis imbibitum, quorum ope, & congeſtione tranſpiratio præpeditur; undè per cutis viam conſueta ſalium volatilium materies ſatis non diſſipatur, ſed in nervos derivata eos vellicat, undas ſpirituum turbat, & intervertit; imò aliis pernicioſæ indolis humoribus confunditur, inteſtinunque illorum motum retardat; ex quo fit, ut ſtato tempore morboſa doloris affectio communis reddatur non ſolis cerebri fibris, & ejuſdem membranis, ſed appenſis etiam vaſculis, & nervis, protenſis tùm ad dentes, cùm ad eorum alveolos, undè dolor, & vertigo exoritur.

Dolor capitis, & dentium ſimulque vertigo.

Quoniam liquidorum congeſtio turbans nervorum motum, atque ſpirituum non raro augetur, feratur oportet proluvies hæc velocitatibus non parùm im-

imminutis in circuitum, ſimulque vaſculorum lateribus cohęreat; ſeu mavis, in minimis ſurculis coaleſcat, hinc magis, vel minus irritatis in Uteri ſubſtantia Paris vagi extremitatibus, ſeu veriùs plùs minùs circumſitis humorum ſaburra, plùs, aut minùs alterentur neceſſe eſt ſpirituum fluentium, ac refluentium undæ, tendantur, unàque laxentur fibræ vaſculorum per viſcera repentium; quæ nec aptè urgere, nec ſcitè premere valent humores, quorum ſemina ea, qua par eſt, velocitate haud excurrere poſſunt per machinam pulmonum, aliarumque partium; ideoque nec ad glandulas cerebri, uti par eſt, derivant pro ſpirituum apta geneſi reparanda; ex quibus omnibus aut ſingulis fit, ut partes quodammodò exeſæ madeſcant, infarciantur, adeòque macerentur, ut regèniti ſpiritus turbidi, & evanidi vi & motu apportuno priventur; quinimò ſylveſtribus ſalibus, & aliis pravis, ac labantibus liquidis ſaturi vellicent quicquid ad eorum contactum venit, undè tuſſes, convulſiones, anhelitus, palpitationes cordis, ac virium defectum ſuſcitant. *Convulſiones, Tuſſes Palpitatio cordis, Viriumque languor.*

Immutatis in Utero fluidorum compage, & componentibus, ſe ſe facilè inſinuant in qualibet anguſtiam meatuum, in muſculorum inania ſpatiola, in nervorum intercoſtalium, ac membranarum vertebralium ſpongiolas particulæ acidæ, & ſalinæ icoribus ſolutæ, quæ, ut ſunt ſero ſalibus rurgido cumulatæ, gravare incipiunt memoratas partes, eaſque magis, magiſque exſolvere, & irritare; ideoque invertere, & concitare motum liquidi nervorum, cujus turbatio, ac procelloſus impetus functiones, vi- *Lumborum, & coxendicum moleſtia.*

vires, & resistentias quaquaversum depravant, & fluida in universum contaminant, quorum alia majorem acorem contrahunt, alia perperam, & pessimè miscentur, alia demum coagmentantur, vel consistunt; & ratione motus, atque scabræ figuræ adinstar limæ morsus abradunt, pungunt, ac veluti perterebrant quicquid tangunt in renibus, & molestè sollicitant, ac lancinant quicquid astruit coxendices.

Tumescentia tibiarum cum varicibus.

Quotiescunque sanguis derivat ad partes inferiores, & debita felicitate per venas sursum non revertitur, sed remoratus sua mole laxat continentia involucra, eaque nimis tensa reddit, conjectare licet, villorum, atque fibrarum motus infirmari à nimis diluto succo nervorum; imò à copia imbibiti icoris acidi circumprimentis vasa præpediri sanguinem, cujus immutata indoles, in Uteri tumescentia caret volatilibus particulis, & plena jam apparet fæculenta lympha, cujus ramosis particulis principia sanguinis implicantur, hoc est fluiditate privantur, ac propterea tibiarum fibræ, musculi, & membranæ stagnantibus humoribus ita cumulantur, ut tumorem manifestent, & venæ satis varicosæ evadant.

Hæmorrhagia narium, Uteri, atque hæmorrhoidum.

Est rationi satis consonum in Uteri plenitudine sanguinem in vasculis latentem consueta libertate non gaudere, ideoque majores, ac minores ductus quaquaversum subire, simul eorum hiatus in naribus, Utero, atque hæmmorrhoidibus laxare, & aperire; nam sanguis acidior, ac impurior redditus non solùm vitiatur nimia copia particularum naturam vitrioli redolentium, quæ propria temperie, qua scatent, coagmentantur; verùm ex mora in vascu-

culis per Uterum repentibus majorem contrahit aciditatem, naturalemque motum non pergit, sed interceptus in vasculis Uteri, narium, & hæmmorrhoidum sensim majores reddit congestiones fluidorum, quorum particulæ in motum actæ rodunt, & eliminant vascula minimæ resistentiæ, ideoque sanguis erumpit.

Quoties tumet Uterus, toties turgescunt mammarum glandulæ, quum affluens humor eadem felicitate alibi non revehatur; hinc tractu temporis adeò Uteri vasa replentur, ut in mammarum angustiis liquor interceptus figatur, ulterioreque statione tumorem augeat, seu veriùs luxuriantibus, ac volatilibus particulis, quibus ditatur, intestinum motum cieat, acredinem concipiat; ac idcircò circumfusi sales ita fiant attriti, scabri, & acuti, ut non solùm majorem proritationem excitent, verùm etiam continentes partes molestè vellicent, & premant; ex quo fit, ut vasa novis subcrescentibus stimulis, viribus, ac circumpressionibus necessariò distrahantur, atque aperiantur, multumque albidi humoris jugiter, & cum dolore effluat. *Lactis exitus cum dolore.*

Vulgaris observatio est cutem indicare naturam fluidorum benè, aut malè, vel nullo modò ab Utero erumpentium; nam vigente ejus plenitudine contaminantur humores, depravantur succi glandularum, turbatur coctio, quævisque liquidorum mixtio, imò illorum minima principia figura, motu, & proportione debita destituta intercipiuntur adinvicem, in meatuum, ac pororum spatiolis subsident, non evaporant, nec refluunt in vasa, & sic *Hydrops pudeudorum, vel œdema.*

ſic quaſi cœnoſis inquinamentis alluunt, & inficiunt faciem, atque totam fabricam. Verùm ſi acidæ, & ſalſæ humorum particulæ in maſſam fluentes, & refluentes turgent, indieſque magis interturbant, & invertunt coctiones, miſtiones, atque ſeparationes, congerantur oportet feculenti liquores adinſtar cotyledonum in Uteri membranis, in Vaginæ lacunis, in vaſculiſque lymphæ etiam per nympham repentibus. Verùm enim verò ſi præter congeſtiones memoratas ſales ſylveſtres plùs æquo evadunt acres, atque erodentes, cum haud intimè miſceantur, colliquationem, ac ſolutionem quaquaverſum inducunt; & ea, qua pollent vi, meatus novos ſibi aperiunt, ac propterea, nec eadem copia, nec eadem velocitate ab extremis venis abſorbentur, ſed ubique turgent, & facta ſibi ipſis via univerſi corporis contexturam fædiſſima proluvie madefaciunt.

Obſervatio cum ſectione.

Hoc apertiſſimè mihi demonſtravit Mulier trigeſimum tertium annum agens, quæ poſt alterum, ac alterum Partum quoties concepit, toties allatis inquinamentis, variis nempè Pudendi congeſtionibus, extremitatum tumeſcentia, ac totius corporis cachexia, non ſecùs ac ſi Hydrope fuiſſet correpta, laboravit. Excluſo verò fœtu brevi curſu dierum fœdos, ac cenoſos humores eliminabat, & ad inculpatam valetudinem ſenſim revertebatur: tandem ingraveſcente ætate, majorique facta partium Uteri exſolutione, ſeu, quod in idem recidit, minutatim collapſo machinularum federe univerſæ fabricæ, iterùm concepit, ſed poſt quintum Menſem, à geſtatione tanta impuritatis iliade, ac veluti ni-

nimia ſarcina gravari cępit, ita ut funeſto Hydrope oppreſſa commune debitum perſolverit.

Aperui infimum ventrem, & in ejus cavitate inveni colluviem aquæ fętidæ, ac turbidæ, quæ ſpeciem ſanioſi humoris referebat. Obſervavi ſtomachi flacciditatem ſinè ulla rugarum plicatura, ejuſque cavitatem turbido, ac veluti bilioſo ſubactam humore. In Thorace pulmones erant turgidi atro, ac cinericio liquore. Exterior Uteri membrana erat cotyledonibus refertiſſima; in Uteri cavitate ſimilem colluviem liquidorum, ſimulque fęturam jam putridam vidi. Demum Vaginam valdè tumoroſam perſpexi, & lacunas, lymphæque vaſa aqua turbida cumulatas, nymphas, & membranas Pudendi exteriores tuberculis ſparſas, ac eadem ædematoſa illuvie imbibitas, qua totum corpus pollutum videbatur.

Urina in continentia ejuſque ſuppreſſio.

Raró vidi inquinamenta, quæ per Uteri vias dejiciebantur, ſylveſtribus ſalibus, & vitriolatis particulis turgida intercipi renum intercapedinibus, vel præpedire urinæ ſeparationem, aut deponere in pelvim muccoſas, & tartareas portiones, quæ urinæ meatum occludunt; ſed hæc urinæ retentio faciliùs exoriri poteſt à compreſſione veſicæ, facta ab Utero fœtu repleto, ob cujus molem premitur, & clauditur illius orificium. Eſt tamen ſatis veriſimile ob fæculentam ſalium copiam, quibus Uterogerentium maſſa abundat, humores, eorumque ſemina valdè attenuari, & fundi; hinc in tranſitu per renes irritare, abradere, & laxare vaſa, majoremque urinæ quantitatem ſecerni. Verùm quò

magis prægnantis Uteri demensio augetur, eò crebrius vesica urinam emittere cogitur, quum hæc ulteriùs de more expandi nequeat, nec magnam lotii copiam continere.

Uteri procidentia. In hac igitur Uteri plenitudine villi, & fibræ, glandulæ, & membranæ, musculi, & nervorum protensiones impuro sanguine, aliisque ferè erodentibus liquoribus imbibitæ necessariò laxantur, illisque implicata vascula aut macerantur, aut concidunt, vel plùs æquo dilatantur; proindeque eorum membranæ donatæ poris, ac interstitiolis fiunt adinstar spongiæ aqua imbutæ, eaquæ adeò explentur, ac turgescunt, ut ligamenta Uteri facilè languescant. Ex quo fit, ut nervorum succus eo, quo priùs modò, non ingeneretur, nec fluat, nec refluat, nec villos, nec funiculos fibrarum lustret, nec contrahat; fit inquam, ut humorum congeries, pondusque feturæ adeò onerent, & dissolvant fœdus molecularum cujuscunque fibræ ligamentorum Uteri, ut liquidorum fæculentia in inanitatibus, ac villorum intercapedinibus diu stagnans vel erodat, vel exsolvat, aut scindat, seu, quod minimum est, flaccida reddat ligamenta Uteri, eorumque superet resistentiam cum non mediocri illius lapsu. Hac verò sarcina liberatus Uterus revertitur ad primum connisum, ejusque ligamenta aliquantulùm roborantur.

Quarè si Uteri fabrica, quæ constat innumeris instrumentis, raris, inanibus, perviis, mutuòque fœderatis obturetur, atque stipetur fedis humoribus; si hoc item Muliebre opificium, quod deberet certa

ta quantitate fluidorum foveri, atque irrorari, liquidorum veluti lacuna undique alluatur, laxentur oportet minutiſſimæ machinulæ, eorumque poroſitates, ac meatus excipiant multum inutilis humoris; ac propterea totius Mulieris magiſterium adeò proluatur neceſſe eſt, ut privetur debita cohærentia, ſimulque diducatur, ac oneretur cęnoſa lympha, ſero, atque impuro ſanguine; uno verbo, ſaturetur adinſtar chartæ madidæ, vel conditi corii muccoſa colluvie. Tunc humores, & partes vitioſa labe infectæ amittunt figuram, mutuam agendi vim, ac relationem, ideoque humores ſimul concurrentes jugiter turbantur, & adinvicem nullo non in loco confunduntur; imò hac humorum corruptela imbuuntur, & contemerantur partes, quinimò, quaſi fæculentæ naturæ pigmentis malè paratis, peſſimèque compactis, ac permiſtis tam variè commaculantur, & fatiſcunt, ut filamenta exiliſſima cutis, ſimulque glandulæ illis conſertæ, ut fibræ, & villi minutiſſimorum vaſculorum, aliaque innumera ſtamina cutis ſtratum pangentia langueſcant; ac proindè omni vi contractionis, & diſtractionis, poſitura, & loco deſtituta invertantur; tandem ut ſpongioſæ inanitates lutoſæ evadant, vel in tartarum inquinatum faceſſant, aut perperam tumeant memoratis liquidis, ideoque cutim benè priùs coloratam, & potiſſimùm faciem quaſi fędiſſima rubigine prorſus adumbrent, ac deforment.

Pallor univerſæ cutis.

Ex quo igitur primùm Mulier de graviditate haud dubia videtur, memoratis non ſolùm ærumnis, verùm immuneris aliis calamitatibus, quas bre-

vitati ſtudens omitto, torqueri incipit; nec rarò Mulier in vitæ diſcrimine verſatur, ni ita ſuos adhibeat conatus, ut tam proprium corpus, quàm fœturæ degentis in Utero vim non patiatur; alioquin adeò turbantur, & quatiuntur adinvicem ſolida, & fluida tum Uteri, cùm geniture; imò ita invaleſcunt vires, velocitates, & irritationes, quas mutuò agendo, & ſuſtinendo accipiunt, ut ſymptomata augeſcant, & malum, quod uni, & alteri imminet, brevi occupet utrumque.

Præſidii ratio.

Decrevit Hip. lib, de Natura Mul., *Puerum ea perfrui ſanitate, qua donatur mater*. Hæc igitur, quantum patitur neuter ille rerum ſtatus, inoffenſum illud vitæ regimen præ cæteris ſervet oportet, quod temperiei, & conſuetudini æquè reſpondeat, ac recto uſui rerum non naturalium apprimè conveniat. Probatiſſima igitur vitæ ratio eſt inſtituenda, quæ nutrit, & conciliat primordia matris, & fœtus; nullum idcircò eſt adminiſtrandum auxilii genus, quod ea turbare poteſt, vireſque utriuſque extenuare.

Verùm ſi ſymptomatum violentia ſectionem venæ, aut clyſteres ex lacte, jure, aut cremore hordei indicet, ſeu veriùs balnea, aliaque remediorum genera poſtulet, conſulat Medicinam faciens Avicen. lib. 3. Plater., Ballon., Petrum Salium, Riverium, Savonarolam, alioſque Scriptores ſolertiſſimos, quos hìc referre eſſet res nimii laboris, & tędii, &c.

CA-

CAPUT XII.

De Partu difficili, Mola, & Secundina retenta.

ANTECEDENTIA.

PArtus, qui debitas naturæ leges non ſervat, variiſque ſymptomatibus diu nimis vexat Mulieres, difficilis appellatur: hanc autem difficultatem ferunt animi paſſiones, aer frigidus, fervidus, & ſiccus, alimenta minimè coctu facilia, atque adſtringentia, hæmorrhoides tumidæ, tumores, excrementorum retentio, ſomnolentia, ſtupor, viriumque languor.

CONIUNCTA.

COlliguntur à Matre ab Utero, & à fœtu, quæ dicuntur Conjuncta; nam Uterogerentium infirmitas, macies, ſiccitas, pinguedo, mala conformatio Uteri, & partium adjacentium, flatus, tumor ani, & veſicæ, dolor nephriticus, pravaque conſtitutio organorum reſpirationi inſervientium Partum retardant; hoc idem præſtant Morbi, quibus torquetur Uterus, necnon ſubſtnantia, quantitas fœtus, ejuſve figura improba.

SUC-

SUCCEDENTIA.

SUppono fluidorum minutiſſima corpuſcula per Uteri ſubſtantiam elabentia eam quodammodo ambire, & vi propriæ gravitatis quoquoverſum ambire; nam vaſa Utero adſita quaſi ſphericè diſponuntur, mutuò flectuntur, ſuperequitant, arctèque irretiuntur, & per eorundem protenſiones mirè implicatas humores naturaliter fluunt: uſquequo igitur fibræ, & villi vaſorum, atque membranarum modicè extenduntur, ac infarciuntur, ut contingit primis geſtationis menſibus, in quibus humorum particulæ æquè fovent laterales, infernas, atque ſupernas Uteri partes, modicè urgent, & premunt; ideoque villi, & fibræ moderatè contrahuntur, & diſtrahuntur, placidè humores pellunt, eoſque ſurſum, & in circuitum ducunt. Si vero liquidorum materies adaucta indieſque magis preſſa, & gravata ab infarctu contractilium villorum ſpiritus retundente velocitatem ſuam amittit, nequibunt memoratæ fibræ ita ſe contrahere, atque humores urgere, ut proportione ſervata Uterum non gravent: Gradatim igitur creſcat oportet liquidorum congeries, quando humores prægnantem Uterum perfundentes minùs æquo fluunt, vel quandò replent vaſa, eorumque fibras, & villos ita laxos, madidos, craſſos, & denſos reddunt adinſtar funis tenſi, ut languidè agant; quod ſatis evincitur in ſumma Uteri plenitudine, cujus cauſa fœtus omnibus numeris abſolutus valdè gravitat quaquaverſum, Uterum com-

comprimit, in orbem impellit, ac veluti ſub prælo conſtringit tam humores circumfuſos, quàm degentes in vaſculis; ex quo fit, ut villi Uteri, & vaſculorum evadant adinſtar arcus, ſeu machinæ non valentis ſe flectere, & in ampliorem extenſionem devenire.

Si ergò in dies magis ita creſcit ponderis energia, ac multiplicatur fluidorum aggeries, ut pori, & loculi villorum non parùm illis imbuti conſtipentur, ac propterea cuncta Uteri vaſa fœtus, ejuſque involucra majori conatu invicem comprimantur, quàm ferat ſingulorum reſiſtentia, tunc vel neutrum iſtorum movetur, vel adinſtar veſicæ aere plenæ, & nimis preſſæ ſcinditur: veruntamen ſi hæc adeò gravitant adinvicem, adeoque conatum compreſſivum deorſum augent, ut contraria quadam vi, ac violento conatu irritent totum Uterum, inflamment, divellant, atque diſcindant oportet involucra, & os Uteri aperiant pro exitu fœtus.

Ex dictis hactenus licet inferre Partus difficultatem progigni tam à partibus, & humoribus fœtus, & Mulieris, quàm à vitio motus, quantitatis, & qualitatis liquidorum vaſa replentium, atque adeò conſtipantium villos, & fibras, ut muſculi Uteri, & ſtamina membranarum involventium fœtum evadant adinſtar telæ laneæ, aut goſyppinæ, ſeu veriùs filtri lento humore ſubacti, quorum filamenta mutuo conniſu deſtituta, ac veluti ſeparata tument, & madeſcunt; ac idcirco facilè retinent liquidum in interjectis loculis, & ſpongiolarum inanitatibus inſinuatum. Hujuſmodi igitur vigente laxitate, ſive raro

ro contactu molecularum singulorum villorum, nec non interjecti humoris quiete præpeditur conatus compressivus; ideoque fibræ & villi non impellunt tanta vi, quantam exigit energia gravitatis resistentis liquidi, cujus causa Uterus, fibræ, membranæ tegentes fœtum, cœteraque vasa debita cohęsione carentia, quasi tot filtra pravis, & lentis humoribus imbibita, proindeque dura, & tensa impediunt, ac devinciunt vegetiores humores, ac spiritus, ne pergant necessarium conatum compressivum, ideoque Partus evadit difficilis, ut lucidiùs infra.

Mæstitia. Diuturna mæstitia, cura, solicitudo, atque iræ excandescentia humores, spiritus, & partes confricant, & agitant; ac propterea absumunt plurimum humiditatis, ideoque humores arent, suamque duritiem impertiunt villosis filamentis, ita ut vim compressivam expulsioni Partus congruentem nequeant moliri: aer item frigidus, fervidus, & siccus etsi diversimodè videtur operari, in idem tamen collimat; nam aer gelidus, igniculis nempè vacuus, ita gravat, constipat, tendit, & contrahit fibras, ut nec facilè laxentur, nec distrahantur; fervidus verò rarefacit plùs æquo tiliarum nexum, atque musivam molecularum contexturam, ideoque tumulat, vel absorbet multum necessariæ humiditatis; siccus denique aer fluida resolvit, ac veluti depascit, quorum jactura fibræ, ac villi contractiles arescunt, idcircò Uterus, & membranæ nec debitam laxitatem, nec opportunum conatum habent.

Aer frigidus, gelidus, calidus, & siccus.

Adstringentia alimenta, coctuque difficillima humores crassos, & viscidos reddunt, quorum vitio

mo-

moleculæ fibrarum Uteri, & tegumenta fœtus quaſi glutine viſcoſo, ne dicam tartaro imbutæ indureſcunt, adeòque minùs valent fœtum in profunda Uteri lacuna demerſum, & gravatum ſuperincumbentibus ac circumeuntibus humoribus infra urgere; quandoquidèm ſpiritus parùm elaborati ſupra vires proprias inveniunt momentum reſiſtentiæ in fibris deorſum tendentibus lentore, ac glutine fœdatis; ex quo fit, ut quęlibet pars Uteri, & membranarum tegentium fœtum conſtipetur, ac propterea Partum retardet.

Adſtringentia & coëctu difficillima.

Hæmorrhoides tumoroſæ, fœcumque retentio quò magis à vaſto Uteri pondere, eò magis doloroſa gravitate afficiuntur, & indureſcunt, imò adinſtar pulvinaris tum hæc, cùm aliæ ſubiectæ partes ſuſtient grave pondus, ſimulque nituntur contra vim ſuperincumbentis Uteri; undè tam pondere proprio, quàm contrapoſita vi ei reſiſtunt; verùm quia Uterus conſtringi, ſive minus ſpatium explere nequit, nec ſurſum, nec deorsum liberè moveri, ſubſequatur neceſſe eſt tempore Partus paſſio perquàm doloroſa,& Partus difficultas; nam vires pendentes à preſſione ſuperincumbentis Uteri, & à conſtipatione, & pondere contrapoſito ſunt inter ſe contrariæ,& quodammodo ſe mutuo impellunt, ac proindè una alterius energiam, & actionem deſtruit, Partuſque difficultatem auget.

Hæmorrhodes & fæcium retentio.

Quoniam verò in maxima Uteri plenitudine ſomnolentia, & ſtupor ſignificant craſſitiem, aut redundantiam liquidorum debitis carentium conditionibus, atque velocitatibus, facilè perceptu eſt liqui-

Plenitudo nimia.

da hujus indolis laxare fibras, villos, & nervos, eosque adeò lympha circumvallare, gravare, & alluere, ut spiritus evadant lympha diluti, contaminati, varièque irretiti; ex quo fit, ut in omni nervosa protensione devinciantur, ac propterea fibræ, & villi infarctu, & laxitate laborent, simulque nervorum papillæ, sive sensus instrumenta premantur, exsolvantur, atque hebescant; quæ omnia dilucidè ostendunt spirituuum materiam tardè instaurari, & languidè diffundi, æquo minùs illustrare musculos, & adhuc minùs movere & contrahere machinulas ferè laxatas fibrarum; & ut summatim dicam, parùm vel nihil excitare vires labefactatas pro necessario motu, & exitu genituræ.

Ægritudines Prægantium.

Uterogerentium ægritudines cum modò conjunctim, modò separatè occupent, & inficiant humores, ac partes, jugiter etiam turbent oportet illam relationem, quæ inter eas solet intercedere; humores namque pravè commisti, longa, jugique serie molecularum se se consequentium, eorumve nunc adaucta velocitate, nunc diminuta stimulorum vi, atque dissono contactu vitiant partes solidas, easque extenuant, ac præpediunt, ne congruentibus viribus mutuò concurrant ad proprium obeundum munus; quamobrem fluidorum materies hujus vitiosæ consistentiæ inquinat, adeòque elimat fibras vasorum, atque latera inanitatum cujusque filamenti, ut non possint instautari, se se contrahere, & ad majus, vel minus spatium, uti decet, restituere; hinc Uterus memoratis liquidis onustus, eorumque pondere pressus etsi dolorosam aliquando compressionem

nem vitare non poteſt, tamen, vel quia caret jugi ſpirituum momento, vel quia inſinuatio prædictorum ſpirituum ritè effici non poteſt, tam circumfuſæ humorum particulæ, quàm aliæ in interjectis ſpatiolis tiliarum, ac villorum inanitatibus conſertæ adeò leniter comprimuntur, ut nec conteri, nec validam cunei actionem ferre valeant; quarè os Uteri liberè, & expeditè non aperitur, nec involucra fœtus ſcinduntur, imò nec infans loci figuram commutat, quia ab infirmis, ac ferè æqualibus viribus circumprimitur, valdèque retardatur uſquequò hic rerum ordo non invertatur, novaque doloris concitatio cum membranarum ſciſſura, ac Uteri divulſione non exſurgat.

Cum verò in corpore majori, aut minori ſiccitate, & macie conſumpto minutiſſimæ, ac duræ particulæ fluidorum ſint adinſtar arenæ, vel gypſi pauco, & pravo liquido intermixti, non poſſunt in loco, in quem inſinuantur, quin propria duritie, magis, vel minùs reſiſtant compreſſioni; hinc fibræ, & villi totius fabricæ Uteri, fœtuſque involucra, cænoſis fluidorum ſeminibus imbibita, ac veluti in modum corii redacta flecti non poſſunt, & niſi maxima cum difficultate laxari, atque conſtringi; & quamvis geniture pondus incumbat modò ex una, modo ex altera parte, ac dolidè comprimat, tamen quia memorati humores ſicci, & quaſi pulverulenti arctè inhæreant, abſque eo quod expelli, & divelli queant è ſuis loculis, fit ut muſculi, fibræ, tendines, Uterique membranæ minutiſſimarum particularum vim, ſive cuneolorum conatum non percipiant; ac propte- *Siccitas & macies.*

rea compressivum conatum, continuique divulsionem haud moliantur, & hoc etiam de nomine Partus evadit difficilis.

Pinguedo nimia. Quò magis verò corpora Mulierum adipe onerantur, eò arctiori fœdere invicem copulentur eorum partes, & constringantur necesse est; hinc musculi, fibræ, & villi tenaci pinguedinis glutine, atque viscoso stipati hebescunt, itemque humores, & spiritus oleosis, aliisque hujus indolis ramosis particulis, quibus scatent, retardant velocitatem, viriumque momentum; ideoque Uterus tempore maturi fœtus in modum crassi corii multa aqua imbibiti redactus, pinguique substantia quaquaversum circumpressus conatum compressivum nequit liberè exercere; imò Uterus, involucra genituræ, aliæque partes Utero inhærescentes, sive laterales, sive illi subjectæ adiposis ductibus, & sacculis pinguedine refertissimis quasi sarcina gravatæ etsi stimulantur, valdeque premuntur à supposito pondere prægnantis Uteri, satis tamen non incurvantur deorsùm, nec facilè disrumpuntur; cum prestò sint partes laterales adipe saturæ, & subjecta pinguedo, quæ adinstar plurium globulorum lanæ sursum quodammodò repellunt vel saltem impediunt depressionem membranarum tegentium fœtum, simulque flexionem, & infractionem earundem tam vi propriæ gravitatis, quàm virtute compressiva, qua contranituntur.

Mala conformatio partium Uteri. Verùm enim verò si fœdus, quo invicem nectuntur malè conformatæ Uteri partes, fuerit summi roboris, arctissimæ unionis, & duritiei, ita ut difficilè moveri possint, vel à liquidorum cuneolis minimè

mè penetrari, aut eorum vi percussionis, atque contactus nec laxari, nec scindi, Partus evadit difficilis; quod idem prorsus evenit, si quælibet pars Utero proxima continui solutione labefactetur, evadatque exsoluta, vel nimis rara, & pervia, aut adinstar ceræ mollis, & cuilibet impulsui agentium liquidorum cedat, vel fiat quælibet fibra informis, aut earum machinulæ laxatæ, ac veluti confusæ, unàque membranæ cænosis humoribus contaminatę; ut breviùs dicam, si absit apta figura, & unio inoffensa, adsitque glandularum, arteriarum, venarum, & aliorum vasorum tumor diversis vasculorum circulis ita nexus in similitudinem tumidi anguis involuti, & laxari non possit, tunc qualibet de causa Uterus, ejusque proximæ partes vires impulsivas repellunt, & Partum summopere retardant.

Sciendum arterias, & venas per Uteri collum, & Vaginæ substantiam reptantes duplo, aut triplo majores evadere, adeòque se inflectere, ac tortuosis anfractibus eminere, ut impediant exitum; imò inter fibras, & rugas colli Uteri, atque Vaginæ hydatides diversæ magnitudinis reperiuntur, & polypi, qui vasa implent, & sæpè in callosam ferè substantiam degenerant, ideoque Partum difficilem reddunt. *Vasorum tumor hydatides, & polypi.*

Quoties igitur Mulieres expedito constrictionis usu totius Abdominis non perfruuntur, toties fibræ vasorum, aut musculorum fiunt duræ, tensæ, ac inflexiles, proindeque musculi feriantur: hoc sensibus patet dum Uterogerentium intestina tumida extensione, sive rigiditate se se tangunt, con-

strin-

ſtringunt, ac veluti fulciunt; vel quandò inteſtinum rectum, aut veſica duro, flatuoſove tumore turgeſcunt, cujus moles, & pondus niſum, & preſſionem quaquaverſum exercet; ideoque Uterus incumbit ſupra rectum inteſtinum, & veſicam quaſi ſupra duo pulvinaria, ſive fulcimenta, quæ ſi nec flectuntur, nec ſatis conſtringuntur, fœtum deorſum deſcendere non permittunt.

Dolor nephriticus. Tandiu Partum retardat dolor nephriticus, quamdiu jugi totius corporis tremore permutat ſingulos contactus, vel laxat ſubſtantiam machinularum aſtruentium nervos per ſingulas partes abdominis diffuſos; & quò magis, vel minùs renum conſtructio ſtimulis, vel ſcabris arenæ particulis, aut calculi aſperitate irritatur, eò magis tendantur, & convellantur oportet protenſiones nervorum, villorum, & membranarum totius abdominis. Si igitur tenduntur, & rigeſcunt adinſtar arcus membranæ inteſtinorum, veſicæ, &c. contrahantur quoque, & convellantur, ſurſumque tendantur neceſſe eſt fibræ, & villi Utero adſiti; ex quo fit, ut fabrica Uteri hiatum ſuum claudat, ſursùm urgeatur, atque attollatur. Verùm quia ſpiritus doloris immanitate reſolvuntur, ſuiſque tremulis, ac tumultuoſis undis concitant, varièque ſollicitant filamenta fibrarum, nec Utero, nec ejus villis contractilibus debitum conatum compreſſivum prębent, quo ſuperent reſiſtentiam tenſionum, aut convulſionum memoratarum partium, ideoque Partus diu protenditur, & difficilis evadit.

Quò magis item læduntur reſpirationis organa

na, eò magis virium exſolutione laborant Parturientes, ac idcircò neceſſariò privantur conatu compreſſivo: Thoracis igitur muſculi vi tumoroſæ inflammationis, infarctus, gravitatis, ſtagnantis humoris, ac tenſionis fibrarum difficilè agunt alternam, atque æquabilem contractionem, & diſtractionem, difficilèque impellunt contra vim, quæ efficitur à vitioſa labe thoracis, unàque contra reſiſtentiæ momentum, quod exeritur à pondere Uteri, fœtus, vel molæ. Quare fibræ, & villoſæ partes, ſive inflammatæ, ſeu veriùs cœnoſis, ac impuris liquidis affluentes, vel convulſæ, & tenſæ, aut quovis alio modò læſæ contranituntur adinvicem, ac idcircò præpediunt neceſſarium, & conſuetum influxum liquidi nervorum, atque adeò reſiſtunt ejus impulſui, ut non ſolùm diafragma, & muſculi intercoſtales, ſed muſculi etiam abdominis nec alternè contrahantur, nec alternè reſtituantur, quinimò ita convelluntur omnes, atque tenduntur, ut nequeant Uterum circumprimere, & fœtum deorſum urgere, ac depellere. *Reſpiratio læſa.*

Non ſolùm Uteri laxitates, Vaginæ dilaniatio, eroſio, ac veluti ſcrobes corrupto humore plenæ, tumores, ulcera, obſtructiones, anguſtiæ, interclusiones, &c. à præternaturali cauſa ortæ conatum compreſſivum retundunt, & villorum momentum infringunt; ſed venæ etiam ab hæmorrhoidibus, atque hypogaſtricis procedentes, lato, & varicoſo ductu per Vaginæ latera ſparſæ, varios hinc indè ſurculos, adeòque tumoroſas elevationes, vel glomeres conſtituunt, ut Vaginam, & os Uteri prorsùs claudant. *Multæ ſunt, quæ Partum retardant.*

Sub-

Substantia pariter fœtus, quantitas, & figura Partum difficilem reddunt; nam sive mortuus sit fœtus, putridus, quavisve alia labe infectus nullum pro exitu conatum exerere potest; sive ergò sit numerus, & quantitas fœtus adeò improportionata, variaque donetur partium mole, hoc est grandiori, quàm decet, capite, pedibus, aliave corporis parte inæquali, sive numerus fœturæ sit multiplex, & copuletur uni, aut pluribus superfœtationibus variæ figuræ, & congeriei; sive demùm situs infantis quærentis exitum nullo modò respondeat naturæ legibus, uti dum manibus, pedibusque præviis exire tentat, aut uno tantum vel binis pedibus, alterutrave manu, sive veriùs una, seu altera ratione involutus, duplex, vel geminus egredi experiatur, quemadmodùm accuratissimis, rectèque adrumbratis imaginibus delineavit Sennertus, tunc vel frustrà libertatem carceris quærit, aut Partus fit valdè difficilis. Quod rursus observatur, si membranæ tegentes fœtum sint omni impuritate onustæ, adeòque rigidæ, ac densæ, ut facilè disrumpi nequeant, vel ita tenues, ut citiùs, quàm par est, scindantur, ideoque effluat aqua, & membranæ, ac Uteri os ita arescant, ut eorum durities, ac resistentia superent vires compressionis.

Respiratio læsa.

Quatitas, & numerus, & figura improportionata.

Si Secundina aliquandò Partum præcedat, & infans suffocetur difficilis est Partus, & in summn vitæ discrimine versantur Mulieres, nisi eodem ferè tempore dent luci fœtum, & hæmorrhargia incepta desinat; alioquin orificia vasorum, quibus Secundinæ adnexæ erant, hiant, continuòque sanguis effluuit, do-

Secundina hua aute fœtum pellitur.

donec excludatur infans, cujus moles quamdiu conclusa manet, tandiu adhibet ad propriam exclusionem aliquas pressiones, & conatus, quorum jugi vi propellitur sanguis, quia vascula propria emissaria non claudunt. At si inaniantur vasa, & vires concidant, detinetur diutissimè infans in Utero veluti exsiccato, qui si adhuc vivit, suffocatur, nec facilè pellitur.

Non est hìc silentio prætereundum Molam, informem, scilicet, ac rudem massam sinè ossibus, atque visceribus compactam, vitioque machinularum Ovi, vel seminis loco fœtus genitam valdè Partum retardare; præsertim si sit ingens, & copuletur geniturae, si sit membranosa, & multiplex, si sit viscida, tenax, minimèque cedens; si demùm figuram irregularem, veluti rhombi æmuletur, tam cum fœtu, quàm post fœtus expulsionem, non secus ac si sola, multiplex, & nimis quanta totum Uterum occupet, arctèque variis velaminibus Utero cohæreat. Ratio tunc suadet, & observatio evincit hanc variæ figuræ, substantiæque congeriem ne Partum quidem retardare, sed sibi ipsi etiam exitum prępedire.

Quid mol[a] sit, & cu[r] partum r[e]tardet.

Magno enim ponderis sensu decumbit adinstar lapidis Mola in latus, in quod Mulier obvertitur, ibique membranarum stamina, ac superequitantia vasa premit, ventremque attollit. Motus in Utero fit tremulus, ac veluti palpitàns, respiratio nunc anhelosa, nunc difficilis apparet; insæviunt dolores dorsi, & inguinum, mammæ tument, & citò lac evanescit, ut fermè statuunt Rodericus à Castro,

Rondeletius, Rolfincius, Cornelius, Soleand., Horſt. Valeriol., aliique plures. Iſtis, & aliis etiam multò gravioribus ſymptomatibus vexatur Mulier Molam geſtans, cui vitæ periculum imminet, ſi diutiſſimè Mola conſiſtat, & cum Utero coeat, ac veluti unum corpus ſimul conſtituant; atque adeò jugiter excreſcant, ut nec extrahi, nec curari queant, ut obſervationes demonſtrant, & auctoritas Hip. ſuadet lib. prim. de Morbis Mulierum: *Si Mola caro fiat, perit Mulier, nec fieri poteſt, ut ſuperſtes maneat.*

Quando Mola Utero coit.

Hæc inutilis, ac informis maſſa, uti aſſerebam de Sterilitate, tam ab Ovo, quàm à ſemine virili, pravis exordiis ſcatentibus progignitur, quorum activiſſimæ particulæ nec mutuò agunt, nec patiuntur, nec ita adinvicem reſpondent, ut Ovi machinulæ aptè de more ſolvantur, & concinnentur; imò Ovi inchoamenta liquidorum ferè glutine circundata ita coaleſcunt adinvicem, ut reſiſtant viribus ſeminis, ejuſque contactui; & quamvis memoratæ Ovi machinulæ vi effluviorum virilis ſeminis alium ſatis diverſum terminum nanciſcantur, atque cohæſionem, tamen Ovi materies, ejus putamen, ac ſtamina diverſæ figuræ, & conſtructionis inter ſe ſe mirè involuta, atque implicata, non virilis tantùm ſeminis retundunt energiam, ſed tumulant, & perdunt ejus ſubſtantiam; ac propterea majori ſemper lentore ac glutine fœdantur, ſeu veriùs adeò impuris humoribus imbuuntur, & laxantur, ut in propriis filamentorum inanitatibus, eorumque interjectis ſtaminibus ſtabulentur, & ſinè ordine concreſcant,

Molæ coalitus.

cant, ideoque preternaturalem congeriem, seu, quod in idem recidit, massam imperfectam effingunt.

Imperfectum aliquandò semen vividis nempe particulis vacuum, lentèque ejaculatum tum à non benevalente, cùm à senio confecto viro, ut putat Georgius Francus, haud fovere, ac fæcundare potest Uterum, & Ovum, quinimò utrumque turbare, adeòque pervertere, ut citissimè Ovum quodammodò maceretur, imbuaturque jugi illa humorum colluvie, qua Uterus abundat. Interdum verò semen adeò circumfuso igne cumulatur, ut vi suæ diffusionis, & contactus plùs æquo permeet, penetret, solvat, & quodammodò ustulet machinulas elementorum Ovi, internamque Uteri membranam, ac propterea Ovum fiat adinstar lapidis usti, udaque arena intriti; quarè & Ovum, & Uterus illicò privantur opportuna relatione humorum, spirituum, & partium, ac idcircò arescunt; & quo magis constringuntur, atque cohærent rugosæ Uteri fibræ, eò magis illis adjacet Ovum, atque utrumque sensim laxatur, & pravis, ac glutinosis liquidis imbuitur, quorum cumulo Uterus semper magis exsolvitur, & infarcitur; ac proindè Ovum rarum, & pervium evadit, in similitudinem spongiæ madidæ quaquà alluvitur, demùm augetur, & concrescit uti pumex in medio extinctæ, & solutæ calcis, dum exsiccatut.

Molæ causæ.

Sępè Tubæ, Uterus, Ovaria, glandulæ, & lacunæ, imò vasa, quæ per internam, atque externam Uteri substantiam vagantur, tanta liquidorum sarcina referciuntur, ut Ovi symetriam turbent, & vastent, unàque restinguant minima ignis, semen, Ovum

Partes læsæ ovi symetriam perdunt, & Mola producitur.

Ovum, & Uterum accolentia, quorum defectu non explicantur, ſed confunduntur Ovi exordia; ac propterea tam humores circumfuſi, quàm per vaſa fluentes privantur ea, qua decet, indole, motu, & velocitate; ex quo fit, ut reſtincta ſemina ignis aliis liquidis intermixta craſſeſcant, ac ita devinciantur, ut Ovum, Ovi moleculæ, inanitates repleantur, & laxentur, proindèque in ſimilitudinem Atheromatis, aut Meliceridis ingens coagulum, ſive Molam conficiant.

Ex iis facile evincitur Molam diù jam in Utero retentam non à propria duntaxat gravitate particularum ſe ſe mutuò tangentium premi, ſed circumprimi etiam à pondere ſuperſtantis Uteri, atque labentium liquidorum, quæ tanta vi impellunt, quanta eſt energia eorum gravitatis; imò cogitur quælibet Uteri pars inferna ſuſtinere pondus partium ſuperiorum incumbentium fluidorum, & contentæ Molæ, ideoque laxari, & aperiri nequit; hac enim multiplici preſſione à vi diverſi ponderis orta ſingula Uteri pars ima quodammodò quieſcit, & præpedit conatum compreſſivum urgentem deorsùm, quia neceſſariò conſtringit poros fibrarum, earumque machinulas arctiori fœdere condenſat, ac idcircò majorem facit reſiſtentiam; verùm cum ob duritiem vaſtæ Molæ, & circumfluentium liquidorum haud potis ſit Uterus conſtringi, ſive in minus ſpatium devenire, debebunt particulæ ipſæ duriſſimæ partibus ſolidis, ac fluidis circumfuſæ ſe ſe invicem fulcire, veluti tot columnæ, aut tot fornices, quæ nullo pacto flecti, dilatari, aut conſtringi poſſunt: ſi igitur par-

partes Uteri supernæ, laterales, & infernæ, itemque humores, & Mola se se urgent, & premunt adinvicem, nullum horum impellentium prosequi poterit motum suum; sed in eodem ferè situ cogetur sistere, quia quantum unum inflectitur deorsum, tantum resistit, & contrario impulsu sursum tendit alterum.

Quamobrèm nulli ignotum esse debet, Molam plurium annorum spatio posse in Utero detineri absque eo, quòd Uterus continui divisione, sive dolore afficiatur; hæc etenim dolorosa passio progigni solet à pondere, quod nimis forsam augetur supra partium resistentiam; undè immodicæ gravitatis excessu quodammodò luxantur machinulæ fibrarum, incurvantur, ac disrumpuntur, ideoque hiatus Uteri violenter aperitur; quòd non secus agunt solidiusculæ humorum particulæ, quæ sigillatim insinuantur adinstar tot cuneolorum intra spongiolas inanes fibrarum, quarum moleculas hinc indè lateraliter dimovent, ita ut à mutuo amplexu separentur: verùm si fluida materies jam in Utero insinuata talis est figuræ, & consistentiæ, ut constringi, & dilatari nequeat, fit,ut fabrica Uteri, fibrarumque constructio, in earumve inanitatibus contenti humores mutuò coalescant, ideoque fibras, & villos non perterebrent, non eliment, nec discindant; vel quia luxationem, contusionem, aut loci mutationem, & cohæsionis non patiuntur, vel quià circum circa ab æqualibus viribus premuntur, dummodò virtus impellens, sive fortuitus ictus, quasi mallei percutientis particulas compressas cunei formam referen-

tes

tes non flectat filamenta fibrarum, eaque discindat, ac repentè Uterum aperiat, ut pluribus ab hinc annis observavi in Muliere rusticana, quæ horrenda Uteri mole gravabatur: hæc autem sustinuit tam grave pondus spatio sex annorum, & cum primo mane è cubile descenderet, in sedeculam fortuitò incidit, & super eam corruit, illicò vexari cępit dolore ventris sævissimo, & brevi abjecit ingentem Molam cum perexigua copia liquidorum, indè post semihoram obiit. In cadaveris sectione examinavi viscera, quæ laudabilem structuram servabant, indè Uterum, cujus muscularem fabricam inveni satis crassam, duram, partim scirrhosam, partimque variis glandulis, & globulis ditatam, quæ latitudinem quaquaversùm æquabat quatuor digitorum, & ponderabat libras duodecim. Huic forsitan Mulieri evenisset id, quod accidit alteri Mulieri, de qua verba facit vir solertissimus de Graaf in fine cap. 8 de Utero, nisi virtute percussionis, quæ est momenti maximi, Uterus violenter se aperuisset.

Observatio

Imminet vitæ periculum, quotiescunque Mulieres fœtus involucra, sive (ut sermone utar vernaculo) Secundinas à Partu non ejiciunt, sed plùs æquo retinent; multæ namque sunt exteriores causæ, quarum momento repelluntur memorata involucra, &c. aer nempè gelidus valdè os Uteri, ejus villos, & musculos constringens, effluvia beneolentia, quæ Uterum sursùm efferunt, cunctaque animi pathemata, quorum est adeò succum nervorum interturbare, tremulumve motum nervis, & fibris Uteri tribuere, ut universa ejus constructio modò convel-

Retentio Secundinæ.

Causæ exteriores.

vellatur, modòve rigeſcat, ſeu mavis, recedat à debita partium cohæſione, flexili laxitate, ac virium compreſſilium conatu: hoc item preſtant & moroſitas Puerperæ non valentis in eo ſitu ita conſiſtere, ut vires compreſſivas expulſioni congruentes exerat, & vaſorum umbilicalium diſtruptio cum exitu totius contenti ſanguinis, eorumque intra Uterum receſſus.

Evadunt interdum tenſæ, craſſæ, adeòque tumoroſæ Secundinæ ob nimium homorum affluxum, qui tam tempore geſtationis Uteri, quàm laborioſi Partus concitantur, ut ſibi ipſis firmiùs, atque parietibus Uteri adhęreant; quod potiſſimùm occurrit, ſi tumidæ, & inflexiles evadunt inſtar corii, propriaque tenſionis reſiſtentia ſuperent, vel præpediant vires jam exſolutas villorum contractilium totius fabricæ, & pręſertim vaſorum per Uterum repentium, ne opportunè exonerentur fœda liquidorum ſarcina, qua nimis gravantur; ſtipetur ergo Uterus impuriſſima liquidorum congerie, & quaſi glutine ita infarciatur, ut ſcindi, frangi, & à mutuo fœdere recedere nequeant vaſcula Uteri, & Placentæ; ſive plùs æquo circumfuſis, vel alluentibus liquidis repente priventur, ac veluti areſcant, tunc Uterus minimè potis eſt vim compreſſionis ſuſcitare, at ſolùm hiatum claudere, & quodammodò in anguſtiori carcere tegere Secundinas, ut pluries me docuit cadaverum ſectio. *Secundinæ nimis craſſæ, & tumidæ.*

Quò magis autem in orbem dilatatur Uterus, eò magis laxatur, & in ſimilitudinem ſpongiæ tenuiſſimo ſanguine imbibitæ craſſeſcit, & rubet, undè ex-

expulſo fœtu, eo, quo decet conatu, ſanguis contentus in Uteri vaſculis, in Placenta, aliiſque velaminibus tam per disjuncta, & diſſecta vaſa Uteri, quàm per alia in Placentæ divulſione, apertaque dilaceratione illico erumpit; ideoque cuncta vaſorum genera in minùs veniunt ſpatium, imò in ſimilitudinem priùs utris aqua pleni, indè dilacerati, ſub compreſſionum prælo exonerantur humoribus congeſtis, rurſuſque abbreviari, atque conſtringi coguntur; ex quo fit, ut nec proprio pondere, nec nova figura, quam acquirunt, nec inæquali glomere, in quem veniunt, urgeant Uterum, premant, nec opportunos conatus excitent pro Secundinarum ejectione; quod tantò faciliùs occurrit, quantò majori ſanguinis jactura, ſpirituumque diſſipatione afficiuntur Puerperæ, quarum vires ita langueſcunt, ut muſculi, fibræ, & vaſorum villi ſubſtantiæ Uteri omninò diſtrahantur, ac idcircò nequeant vim expulſioni congruentem elicere.

Sanguinis jactura, & Spirituum diſſipatio.

Sæpiſſime verò accidit Uteri, Colli, & Vaginæ ſubſtantiam in tranſitu fœtus adeò exſolvi, & dilaniari, ut exiguæ illæ plagulæ, diſſectaque vaſcula evomant acres, ac ferè erodentes humores dolorem immanem ſuſcitantes, ac ſursùm ducentes fibras, & nervos ibi protenſos; cujus rei cauſa Uterus modicè convellitur, adeòque conſtringitur, ut conatus neceſſarios ad Secundinæ excluſionem adhibere non poſſit; undè ſæpè per occaſionem macerantur, vel marceſcunt Secundinæ, quarum fœda, corruptaque ſubſtantia Uterum contaminat, & adinſtar ſtrati conſtipat ejus poros, atque emiſſaria, quinimò paulatam

Uteri conſtrictio.

tim irritat vellicat, erodit, & mille miris modis ledit, inflammat, adeòque Uterum putrefacit, uti pluries ſum expertus, ut convulſiones, deliria, nervoſique generis vitia progignantur.

Sit ergò retentio integræ Secundinæ, aut alicujus pravi fruſtuli, exhalent oportet halitus ferè cadaveris; ideoque vi tantæ putredinis febris acuta, virium lapſus, extremorum frigiditas, hyſterica paſſio, epilepſia, reſpirandi difficultas, ac mors ſubſequantur neceſſe eſt. *Symptomata diverſa.*

Aliqua tamen ſalutis ſpes remanet, ſi ante ſeptimam dùm Secundina putredine, atque marcore conſumpta cęſim, vel minutatim effluat, ut ſecundo Epidem. obſervavit etiam Hip.; ſeu veriùs dum ſanies multa depellitur, cujus exitu, ne ſecernitur quidem diſſoluta Secundina, verùm etiam purgatur Uteri textura fœdis liquidis ſubacta. *Prognoſis.*

Tam Partus difficilis, Mola diù retenta, quàm Secundina auxilio indigent, ne fœtus, & Mulier moriantur: laudat hac de cauſa Hip. lib. primo de Morbus Mulierum venæ ſectionem pręſertim in Juvene vigore, & ſanguine referta, & in 6 ſectione aphor. commendat ſternutationes.

Auferantur igitur cuncta, quæ Partum retardant, illiniantur partes exteriores, injiciantur clyſteres acres, propinetur oleum amygdalarum dulcium, vel pręſcribantur Trochis, de myrrha ad dracm. unam & ſemis cum unciis duabus aquæ artemiſiæ, ſive propinetur oleum ſuccini ad guttas xv, extract. croci ad guttas vj. cum juſculo, aut vino optimo. *Curatio.*

Non ſunt contemnenda cætera, quæ proban-

tur à Roder. à Caſtro, ab Etmul., Brunet. Bonet. Riverio, ab aliiſque probatiſſimis Viris; exteriora verò præſidia, ſi quæ ſunt, artificioſæ Obſtetricis manui ſunt relinquenda: verùm ea, quæ ad retentionem Secundinæ ſpectant, variis obſervationibus ęgent, antequam adminiſtrentur, conſulat ergo Lector Sennertum, Riverium, Alexandrum, Benedictum, alioſque plures, ut recta methodo procedat.

CAPUT XIII.

De Lochiorum Fluxu immodico.

ANTECEDENTIA.

PRO vario vitæ genere, diverſaque corporis habitudine, ætate, temperie, ac prægreſſo Partus labore variè fluunt Lochia, quorum quantitas in puerperio non à ſola temporis duratione ęſtimantur immodica; ſed certa rei cognitio nunc à nimia, & ſubitanea copia, nunc à prava fluidorum indole, à fœtore ſcilicet, & à concreta ſubſtantia, ab erodente inquinamento, imò à difficili tolerantia, ac virium proſtratione deſumitur: nam in ſui principio eſt Lochiorum fluxus humorum colluvies in Utero contenta, ad eumque jugitur affluens per arterias, totidemque venas in Placentæ, aliarumque membranarum divulſione apertas per triduum ſaltem erumpens, indèque ubertim adinſtar loturæ carnis ſeptem dierum ſpatio, demum effluvens in ſimilitudinem lenti inſculi, aut mucilaginis ſpatio triginta, aut quadraginta dierum.

CON-

CONIUNCTA.

PREterlapsis nonnullis à Partu diebus, si diu durent, immodicèque fluvant Lochia, ea comitari solent non levis vasorum dilaceratio, virium languor, tabes, inanitio, nausea, coctio depravata, vigilia, dolor in hypochondriis, tensio ventris, pulsus debilis, & celer, convulsio & non raro hydrops.

SUCCEDENTIA.

QUoniam ex allatis naturalis Uteri moles pro varia Mulieris ætate, temperie, corporis proceritate, conceptione, sterilitate, &c. observatur diversa, prægnantis quoque Uteri laxitas, ac vasorum magnitudo varia sit oportet tum ob majorem, vel minorem explicationem partium fœtus, cùm ob disparem liquidorum cumulum, quo gestationis tempore vasa repleri solent; nec hujus incrementi causa solùm sistit in majori, aut minori paucitate, aut magnitudine tegumentorum partibus genituræ respondentium; verùm in dissimili copia alimenti indesinenter confluentis ad fœtum, & Uterum, cujus contextura quò magis dilatatur, eò magis crassescit; ideoque si extremis presertim mensibus dissecetur, non videtur membranosa, sed evadit quasi corium recenter deglabratum, vel adinstar spongiæ crasso sanguine imbibitæ; imò apparet refertissima innumeris foraminulis, sive vasculis in medio dissectis, ex quorum emissariolis cruor quàcumque guttatim

effluvit; poſt Partum igitur hæc magna Uteri ſpongia facilè ſe ſe reſtituit ad primam ſuæ molis parvitatem, ſenſimque abbreviatur vi contractilium fibrarum, quibus Uteri ſubſtantia ſcatet, ac propterea memorata ſpongia ſub prælo ponitur, & exprimitur univerſa humorum congeries, qua onerabatur.

Partus itaque labores quò magis, vel minùs agitant, ſtimulant, urgent, & jactant quicquid eſt vaſorum, fibrarum, nervorum, & glandularum, quicquid eſt magnitudinis Uteri, incrementique fœtus, quicquid cohæſionis latet inter vaſcula ſacculorum fœtus, & ſubſtantiæ Uteri; eò magis, vel minùs cieantur, concutiantur, atque exagitentur oportet humores ibi congeſti, ac ſpiritus ibi fluentes; quorum momento, adauctaque velocitate citiùs, vel tardiùs ſacculi, quibus tegitur infans, lacerantur, faciliùs, vel difficiliùs hiat os Uteri, pellitur fœtus, multòque faciliùs, aut violentiùs poſt tranſitum fœtus ejiciuntur Secundinæ, ſed priùs diffringuntur coeuntia vaſa, ſimulque cætera repentia per internam fabricam Uteri, Colli, & Vaginæ ſupra eorum reſiſtentiam laxantur, & præ nimio preſſionum conatu dilaniantur; ac idcircò à plagulis memoratarum partium plùs, vel minùs ſanguinis erumpit.

Conſtat itaque violentos conatus in Mulieribus calidæ temperiei, raræque texturæ nec difficilè exolvere, nec parùm lacerare Uteri vaſa aliis vaſculis membranarum, involventium fœtum conjuncta, quorum emiſ-

Conatus Violenti.

emiſſaria vi concitati ignis ſolidis partibus circumfuſi, ac fluidis intermixti, tam diu hiant, quandiu ejus ſubitanea vi, penetratione, repetitis percuſſionum ictibus, atque velocitatibus elimat tubulorum internam ſuperficiem, permeat machinulas fibrarum, magiſque perterebrat vaſculorum ora, quæ nequeunt ulteriùs occludi, donec coherceatur, ſive imminuatur igniculorum quantitas; quorum privatione ſontè villi, & fibræ vaſorum in minus deveniunt ſpatium, vel quodammodò rigeſcunt, ideoque adinſtar præli carentis ſua vi nec premere, nec pellere valent contentos humores; ac idcircò redeunt ad debitam cohæſionem labia vaſorum, & Lochia deſinunt.

Verùm ſi ubertim, adeòque repentè effluant dicta Lochia, ut vires concidant, cogitandum vaſorum diſſectionem, totius contexturæ exſolutionem, & membranarum dilaniationem fuiſſe maximam, nec levem totius Uteri circumpreſſionem; ideoque humores ob igniculorum incurſum, ac moleculatum concitationem ſtimulare ſingula filamenta, eorum permeare inanitates, ac præter naturæ ordinem è vaſculis ſuis exire ingenti cum virium, ac ſpirituum jactura. *Sanguinis fluxus repentinus.*

Quoniam verò toto geſtationis tempore villi, & filamenta vaſorum Uteri, ventriculi, inteſtinorum, ac viſcerum tam vi magni ponderis, quàm vi contractionis, ac diſtractionis ſuperadditæ, ſive preſſionis, atque conſtrictionis directæ, lateralis, aut tranſverſæ trahuntur, indieſque magis urgentur, & concutiuntur; tandem laxetur oportet machinularum

rum nexus, & compages tiliarum, quæ quò magis à mutuo contactu divelluntur, eò magis violenter trahuntur, premuntur, concutiuntur, & dissolvuntur, seu, quod in idem recidit, minùs resistunt divulsioni, ac dissolutioni; ex quo fit, ut coctiones, separationes, mixtiones, &c. minùs æquo peraguntur, quamobrem loculi interjecti, atque inanitates fibrarum Uteri stipentur impurissimis liquoribus, scatentibus viscidis, ramosis, ac silvestribus particulis, quibus Uterus, Corpusque universum contaminantur, ideoque indigere videntur Puerperę diutino Lochiorum stillicidio pro integra repurgatione; verùm si in interjectis spatiolis, atque inanibus spongiolis partium Uteri stabulentur pravæ indolis particulæ, asperæ scilicet, atque scabræ figuræ, sive erodentis naturæ, unàque fibrarum tiliæ, & vasorum stamina tendantur, concutiantur, ac convellantur vi dolorum Partus, valdè etiam separentur, atque lacerentur necesse est vascula cujuscunque unionis, & fulcimenti; nam licèt vis, qua liquida agunt intra corpus Uteri ab ipso primo tempore gestationis debeat proportione respondere virtuti, qua instrumenta Uteri inter sese cohærent; tempore tamen Partus cum hæc vis cohæsionis, quæ tota sistere deberet in mutuo nisu filamentorum venientium in contactum, non solùm non sit valida, verùm ita minima, ut diu fibræ non resistant conatibus compressionis, nisi quis dicere velit, vim, qua agunt fibræ Uteri, & tegumentorum fœtus, & vim, qua agunt, & fluunt liquida per corpus Uteri, & membranarum geniture esse maximas; adeòque contactus vires tam mi-

Cohæsionis imbecillitas,

minimas ut divellere, lacerare, ac perdere quodammodo ſinant totam Uteri contexturam, & tegumentorum facturæ, ac propterea ſinant humores liberè defluere.

Uterus ergo conatibus compreſſivis à Partu exortis nimis forſan luxatus, pervius, & magno languore affectus, ſive variis plagulis contemeratus vix ullo fœdere cohæret; ideoque vix ulla reſiſtentia reſiſtit fluentibus, ac circumfuſis humoribus, quia momentum facultatis moventis, agentiſque in fluida labentia per corpus Uteri, ejuſque partium finitimarum eſt majus momento, quo partes ad invicem nectuntur. Hinc colligitur liquida præſeferre aliquid agitationis, cujus vi ſtimulant villos, & fibras, quas tangunt, eaſque ita irritant, dilaniant, atque erodunt, ut plagulæ fiant ſemper majores, atque profundiores. Quò major igitur, vel minor fuerit Uteri, colli, ac Vaginæ ſolutio, eò plùs, vel minùs vitii, ac velocitatis acquirent humores, imò plùs, vel minùs per vaſa diſſecta labuntur; præſertim, ſi malæ indolis liquida, lymphæ videlicet ſalſæ, & acidæ, aliique contaminati humores adinſtar aquæ erodentis ulcuſcula profundiora faciunt, ſeu veriùs ſi diffuſione, ac æſtu, ſive quaquà ſeſe effundendi vi donantur, quaſi ſpiritus acidi oleo ſulphuris commixti tument, permeant, & tranſeunt; imò egrediuntur faciliùs per emiſſariola, ac poros Uteri, quàm aqua ſimplex per vaſa fictilia, aut ligni tortuoſas inanitates, ſive per meatus burſæ coriaceæ; quòd potiſſimùm fit, dum Uterus conſtat villis, ac filamentis gracillimis in ſe continentibus ſpatiola vacua, & humo-

Liquida agitant.

mores ibi labentes componantur variis, ac tumultuosis seminibus diversa vi, velocitate, ac figura scatentibus.

Fætor itaque Lochiorum, & quantitas decolorata improbam ostendunt liquidorum mixtionem, & non levem solutionem Uteri, cujus spongiosa substantia dum majoribus, minoribusve excoriationibus, fossulis, & ulcusculjs inficitur; sive dum majoribus, minoribusque laxitatibus, ac inanibus villorum loculis abundat, plùs, vel minùs madet, & imbibitur noxiis humoribus, qui quoties ibi consistunt, variè miscentur; ex quo fit, ut Puerperæ hujusmodi humorum contactu agitatæ, & concussæ vexentur doloribus ventris, febre, macie, necnon virium languore maximo.

Fætor Lochiorum.

Supponunt jam Lochia immodica vasorum lacerationem, continuum stimulum, qui vasculis, nervis, glandulis, Utero, totique corpori quodammodu vim facit; ideoque variè inficit, & violat humores movendo, ac permutando particularum fluidarum reciprocationem, earumque congeriem, & unionem distinguendo, ac divellendo singulas machinulas solidas astruentes fibras, quo tempore vascula, membranæ, & nervi non possunt quin expromant, ac ferè evomant humores fermentescentes; & quantò majores percipiuntur irritationes, & stimuli in fabrica Uteri, & partium adjacentium, tantò magis tenduntur, tremunt, & oscillant singulæ partes villosæ, quæ liquidiora reddunt fluida, eaque depromunt, & quod deteriùs est, tremor, & concussio non solùm dimovet, verùm etiam abripit partes li-

Lochia immodica.

qui-

quidiores, ex quibus villi contractiles componuntur; ac idcircò in tenuissimas auras resolvit particulas vividiores succi nervosi, ex quibus vires ingenerantur. Quò magis ergo hæc omnia vigent, eò magis semper labefactantur cohęsiones, absumuntur spiritus, & quicquid humidi inest, evanescit; undè brevi corpus intuetur tabe consumptum, imminuuntur vires, & resistentiæ, quæ gradatim languescunt, demum concidunt.

Quid accidat post Partum difficilem, &c. Secundinæ extractionem.

Post Partum igitur difficilem, ac violentam Secundinæ extractionem fibræ naturali contractione contractiles, Uteri scilicet vasorum, ejusque finitimarum partium, licèt censeantur dilaniatæ, exsolutæ, atque dissectæ, debent tamen suapte natura restitui, atque ita constringi, ut per laxas, lacerasque partes, necnon vasorum emissaria contentos exprimunt humores; multumque propterea lymphæ utilis, & inutilis, itemque multum sanguinis concreti, atque soluti, uno verbo, quicquid fluidi intra Uteri, colli, & vaginæ intra villos, eorumque inanitates continetur, eliminare conetur; ex quo fit, ut paulatim deficiat materies vires exercens, unàque corpus inane, ac veluti tabe consumptum evadat.

In tanta liquidorum, ac virium penuria musculi, fibræ, ac villi Uteri, & corporis universi, ventriculus, glandulæ, & ductus illis adsiti ita humoribus inaniuntur, ut vix perfrui possint contrahendi, distrahendi, ac circumprimendi illa vi, quæ potis est separare succi copiam ad triturationem eduliorum idoneam, ac necessariam, & multò minùs exercere motus intimæ mixtioni congruentes;

imò in tam ingenti jactura, Uterique exſolutione laxitas, & nervorum languor per univerſum abdomen diffuſus communicatur tam ventriculo, quàm inteſtinis cum non mediocri machinularum imbecillitate; cujus cauſa ſuccus è glandulis ventriculi vix ſecernitur, & ille in tam exigua quantitate adeò dilutus, ut dum in ventriculum derivat, contactum, ac ſenſum minimè naturalem producat, ſeu veriùs peculiarem tremorem in nervis intercurrentibus, vel, quod in idem recidit, moleſtiſſimam nauſeam.

Inanitio Abdomini ventriculo, & corp. toto jacturam impertit.

In ſæva hujus morbi contumacia membranæ, imò muſculi Uteri extendi non poſſunt, quin fiat aliqua inter eos divulſio; ex qua ſæpiſſimè generatur dolor, qui & diu perſeverat, & quandoque ita augetur ob ingentem, ſemperque majorem canaliculorum diſtractionem, atque laxitatem, ut nervi intercurrentes non parùm comprimantur, ſpirituſque majori influxu quaqua influant, eorumque proindè majori, quàm decet, contactus vi exurgit doloris ſenſus, atque divulſio. Quoties ergo viget dolida Uteri confricatio, vel præternaturalis contactus humorum, aut ſpirituum foventium, ac luſtrantium partes Uteri, toties partes concutiuntur, & adinſtar cribri excuſſorii oſcillant, non parùm humidi abſumitur, cujus privatione ſomni impotentia, ſeu vigilia exoritur; quæ indè paulatim liquidorum concitationem, inſignemque calorem, demum varios, ac perturbatos ſpirituum motus excitat; imò abſumptis liquidis ſupereſt in arteriis, & venis ſanguis impurior, atque æquo acrior, cujus improba minutiſſimarum particularum ſeries, motuſque fer-

Divulſio, & dolor cum febre.

men-

mentativus ſuſcitant mali moris febrem, in qua diſſoni muſculorum impulſus, aliaque dira ſymptomata apparent, & prout humores, & ſpiritus majori, minorive impetu moventur, & concutiuntur, plùs, vel minùs jactentur, agitenturque Mulieres neceſſe eſt.

Quid liquidorum acre do ferat.

Ab humoribus item acribus ſale, aut vitriolo imbibitis adeò irritantur vaſa repentia per cavitatem hypocondriorum, ut ea doloribus vexentur, ſicceſcant, tendantur, &, quod rei caput eſt, valdè convellantur; verùm ſi ad Uterum, aut ad aliud viſcus uti ad corticem, vel glandulas cerebri derivat mordax aliquid, quod valde divellat inter ſe cohærentes villos, eoſque exagitet, diſtrahat, concutiat, ac quodammodò dilaniet, expreſſionem quoque pariat oportet humorum variæ indolis, ex quibus facile hydatides producuntur; qui etiam cum ſtimulis, ſineque ſtimulorum dolida vi oriri poſſunt, dummodò machinulæ villorum à ſcabris, aſperis, & angulribus particulis interjectis pungantur, elimentur, vel diſtrahantur, abſque eo quòd ceſſet confluxus liquidorum in dictos loculos, quorum major, quàm decet, quantitas divulſos villos attollet; ideoque tot generabuntur folliculi aqua pleni, quot erunt laxitates, & divulſiones: ſi autem mordax, & erodens illud derivabit ad glandulas, facilè vaſa lymphæ diſſolvet, & machinularum interjectiones, & inanitates earundem magis dilatabit, perterebrabit, ac diſcindet, proptereaque ſenſim alluet Uterum, atque univerſum corpus.

Etſi factura Uteri ex raris adeò componitur partibus, atque poroſis, ut unione, debitaque conden-

Post Partum Uterus rarus & laxus facile expellit.

densatione post Partum haud frui possit, certum tamen est, liquidorum particulas per Uterum labentes languida vi, modica attritione, paucave quantitate jugiter descendere, uti contingit in pulvere terrestri, aliisque rerum seminibus in aere, vel aqua dispersis. Hac eadem ferè ratione sanguinis, aliorumque liquidorum moleculæ diversimodè permixtæ descendunt juxta varios circumpressionis conatus per emissaria, & vascula dilaniata vel dissecta; imò ex Utero (penè dixerim) descendunt quasi per stillicidium, aut per filtrum flexuosa vi pressum, ac detortum; ideoque quicquid humidi crassi, ac tenuis, sive unius, sive alterius substantiæ in eum derivat, elabitur; idipsum aliquandò etiam producit humor erodens adinstar acidi spiritus vitrioli, aut aquæ regiæ, dum vi, pondereque suo intra metallorum poros hæc insinuatur, cunctasque solidas particulas elimat; nam salsus, & erodens humor salibus, quibus abundat, veluti tot spiculis, limæque morsibus, aut scalpris abradit Uteri, ejusque vasorum machinas, proptereaque exsolvit combinationes universæ texturæ Uteri, & vasorum ejus, atque liberè egressum concedit contentis liquidis.

Quantò major est copia Lochiorum, tantò major est virium jactura.

Quotiescumque ergo nimis exploduntur Lochia, vires, viriumque organa labefactentur oportet, cum reparationes humorum, spirituum, & partium longè minores sint earumdem jactura; quæ si indies ita excrescat, ut liquidorum exitus valdè superet instaurationem, nunquam poterunt fibræ cordis vividè, uti decet, elicere contractiones, & distractiones, multòque minùs poterunt fibræ Uteri, vaso-

ſorum, & glandularum, viſcerum, &c. concinnè, & alacriter humores adhuc ſuperſtites urgere, atterere, & elaborare, ita ut univerſæ conſtructioni benè congruant. Quarè humores ſic inconditi, debita figura, velocitate, igne, cæteriſque ſuis conditionibus deſtituti ubique multiplicantur, & paulatim congeruntur in vacuis loculis, & ſpongiolis cujuſcumque moleculæ componentis fibras; adeòque eas obſepiunt, ac replent, ut univerſalem cachexiam pariant; ex quo indè fit, ut ſuccus nervorum evanidus, ac veluti dilutus evadat, ac proindè lymphæ vaſa nimis attenuata, atque macerata deſtituantur ſua vi, & diſcindantur, unàque omnium vaſculorum villi jam exſoluti omnino laxentur, ac idcircò contentum humorem ſinant, & hydropem producant.

Privantur ſepiſſimè Mulierum corpora debita indole & copia liquidorum, & quicquid in hoc Morbo humoris ſupereſt, inconditum, pravum, ſalſum, atque erodens decernitur; cujus indè ſemina, ſive nervos externè irrorent, ſive eorum internos hiatus accolant, ſive in muſculorum fibras diffundantur, adeòque quaquaversùm feriunt, penetrant, & exaſperant nervos, & fibras Uteri, atque totius corporis, ut ſpiritus tumultuentur, & muſculi omnes ſummoperè convellantur. *Humores inconditis, ſalſi pravi, innumera mala ferunt.*

Fluxus ergò Lochiorum immodicus dijudicandus eſt ex virium labefactatione, animi deliquio, ſanguine grumoſo, effluente, cibi faſtidio, dolore in hypocondriis, ventris tenſione, & pulſu debili; majus itaque, vel minus in hoc Morbo adeſt periculum, pro ut magis, vel minùs ingraveſcunt ſymptoma- *Undè dijudicatur fluxus Lochiorum nimius.*

mata, unde Hip. sec. v. aphor. scripsit, *Si Muliebri profluvio convulsio, aut animi deliquium supervenit, malum.*

Ratio curationis. Hinc tota curationis ratio versatur in immodici fluxus Lochiorum cohibitione, vel in moderatione humorum pravæ indolis: nihilotamen minùs magna præmeditatione prescribenda sunt ea remediorum genera, quæ constringunt, & incrassant, ne quod secerni debet, consistat intus: a lenioribus itaque est incipiendum, dummodo vehementiora symptomata non urgeant, & potentiora non expetant.

Victus instituatur incrassans, sanguinis impetus frenetur tum levi missione, tum potionibus aque chalybeatæ, tum jusculis pulpa, aut hordei pulvisculo commixtis, tandem liquida cuncta dulcificatione egent, & solida Uteri nimis exsoluta instauratione; undè locum habere videntur quæ præscribuntur à Sydenham, à Riverio, à Sassonia, &c. nec sunt spernendæ ligaturæ, cucurbitulæ sub mammis, frictiones, cæteraque de Fluxu Mensium immodico supra indicata.

CA-

CAPUT XIV.

De Lochiorum Suppreſſione.

ANTECEDENTIA.

LOchiorum Suppreſſio dicitur retentio impuritatis novem geſtationis menſibus tum in vaſculis Uteri, cùm univerſi corporis congeſtæ, cui anteire ſolent, quæ Partum retardant, ſimulque animi pathemata, aer frigidus, repletio nimia, partium, & liquidorum ſiccitas, unaque virium laxitas.

CONIUNCTA.

VEnter tumet cum dolore lumborum, & inguinum, reſpiratio eſt difficilis, perturbantur oculi, facies rubet, exſurgunt deliquia, febres, ſudores frigidi, pulſationes Uteri, ardoris ſenſus, inflammatio; & non rarò phrenitides, mania, ac pleuritides inſurgunt, demum paralyſis in partibus inferioribus, interdumque etiam epilepſia.

SUCCEDENTIA.

QUotieſcumque ceſſant Lochia ante ſtatutum tempus, fluidis jam in tota Uteri fabrica congeſtis, & pauco igne refertis, ea imbibitur, ideoque adinſtar juris refrigerati brevi humores coaleſcunt, infarciunt, ac veluti in ſimilitudinem tartari,

aut

aut glutinis opprimunt, & obſtruunt dilacerata vaſculorum emiſſariola, cribraque glandularum, imò quaſi gelu conſtringunt laxatas, & exſolutas villorum machinulas; ac idcircò univerſa Uteri conſtructio lympha potiſſimùm cumulatur, cujus ſubſtantia videtur quodammodò aggregatum ex minimis ſphęrulis chryſtallinis ſe ſe æqualibus viribus comprimentibus, in minimiſque Uteri vaſculis, ſcatebris, & ſpongiolis facilè adinvicem contorquentibus; quæ ſubindè veluti columnæ, aut fornices in interjectis fibrarum ſpatiolis adeò coarctantur, mutuòque cohærent, ut difficilè elabi, ac in libertatem vindicari queant: quamobrem omnes quot ſunt Uteri partes terminum ſuum permutant, in majus veniunt ſpatium, humoribus impuriſſimis ſtipantur, & circumprimuntur abſque eo, quòd ritè contrahantur, & memoratam depellant Lochiorum congeriem.

Rationi igitur conſonum videtur, & aliorum fluidorum moleculas variis modis irretiri, ſe ſeque mutuò amplecti, ideoque ignem circumfuſum tumulare, vel reſtinguere, debitamque ſimul fluiditatem amittere; quare humores glutinoſi extenduntur paulatim in filamenta tenuiſſima ſatis longa, vel in gracillimas membranas; ac propterea in hac Lochiorum retentione, lympha, & ſaliva evadunt viſcoſæ, vel adinſtar albuminis Ovi, cæterique liquores adeò lenteſcunt, & invertuntur, ut in ſpongiolis Uteri, fibrarumque inanitatibus facilè ſiſtant, & concreſcant; ſeu veriùs in ſimilitudinem muci, aut fruſtuli telæ araneæ ſecernantur, nec ſimplex quies par-

particularum fluidarum gluten ingenerant, nam arenæ cumulus lentorem, & fœdus haud acquirere poteſt, dum ejus diſſolutæ particulæ ſe ſe mutuò tangunt; ſed ſolùm cum arcto unionis uniculo, alternaque angulorum inſinuatione viciſſim connectuntur minutiſſima granula, uti obſervare eſt in pavimento aqua, arena, calce, aut quovis alio glutine confecto: ſi igitur liquidorum particulæ in glandulis Uteri, in Vaginæ lacunis, ac fibrarum ſpongiolis fiunt craſſiuſculæ, earum aliæ evadant oportet ramoſæ, aliæ cæteris graviores; ideoque omnes amittant velocitatem congruentem, permutent figuram, & contactum, atque ita adinvicem implicentur, atque coerceantur, ut Uterus, Vagina, aliæque finitimæ partes infarciantur, indureſcant, ac vi, conniſu, & circumpreſſione debita priventur.

Mirum igitur non eſt in Mulieribus hac labe extinctis ſæpè Uterum obſervari adinſtar duri, ac dilaniati corii, aut mali punici aperti, & corrupti; cujus ſinuli licèt cumulentur contaminatis granulis, ac veluti putredine ſubactis, nihil tamen exit contenti humoris, niſi valdè premantur; ſic Uteri rugæ, & Vaginæ glandulæ, vaſa lymphæ, & lacunæ pravus liquidis onuſtæ, fœtidiſque ulcuſculis affectæ ſupervacanea liquida non pellunt; quia villi contractiles, e fibræ jam labefactatæ, atque humorum ſarcina gravatæ tument, reſiſtuntque viribus agentium liquidorum, ne eliciantur neceſſariæ contractiones, diſtractiones, & circumpreſſiones expulſioni congruentes, quemadmodum ex antecedentibus infra declarandis apertè evincitur.

Animi pathemata. Spiritus in quolibet animi pathemate ſummoperè concitati tanta concuſſione, atque agitatione inſinuantur in ſingulas partes, ut brevi abſumi, ac interturbari cogantur; ſed in hoc Morbi genere elabentes undæ ſpirituum, eorumque refluxus pertingunt aduſque nervos Uteri, & cordis, cum quibus habent communicationem ſtomachici; aliæque protenſiones ibi repentes, quæ omnes per memoratam concitationem, copioſumve refluxum concutiuntur, fitque adeò frequens motus cordis, ut inter contractiones, diſtractiones, alioſque motus vix interdum detur neceſſarium intervallum temporis, cujus cauſa parùm ſanguinis in auriculis, in ventriculis, in cortice cerebri influat; ideoque pulſus fit valdè creber, & parvus, tum quia non fit apta regeneratio ſpirituum, tum quia naturalis non peragitur expreſſio eorundem in nervos, in muſculos Uteri, villos, & fibras, in ſenſuum inſtrumenta, imò in univerſas tilias contractiles; hinc deficiant oportet in Utero vires percuſſionis, & contactus, nec non velocitates liquidorum, ſive quicquid congruentis figuræ, motus, relationis, aut momenti requiritur inter fluida, & ſolida Uteri, atque totius fabricæ pro Lochiorum expulſione.

Si frigidus aer ſua, qua pollet gravitate, quàcumque nimis premit cutis ſtratum Puerperarum, comprimat unanimis oportet Uteri fabricam, cujus ſpongioſa conſtructio adeò ſupra omnem reſiſtentiam conſtipatur, & obſtruitur, ut evomere, ac depellere nequeat congeriem liquidorum, quibus replentur inanitates fibrarum, atque villorum. Quamo-

mobrem fluidorum moleculæ diu jam in libertatem actæ, & quacumque mobiles ita ſubeunt glandulas, villos, ſingulaque filamenta, ut quodammodò congelent, ac totum Uterum infarciant; imò ſpiritûs diluti, humores lenti, & craſſi, cæteraque organa flaccida, atque exſoluta propria vi, mixtione, atque unione debita ita privantur, ut nullam ferè adinvicem ſervent relationem, ideoque nec ſuperent impedimentum à frigore exortum pro Lochiorum expulſione.

Quoties humoribus nimis gravatur Uterogerentium corpus, toties eorundem congerie obſideatur, ac oneretur neceſſe eſt Uterus, cujus fibræ, vaſa, ac villi contractiles quodammodò hebeſcunt, & compreſſionis impulſum vix percipiunt; &, quod rei caput eſt, contractionum, ac diſtractionum momentum non exercent cauſa liquidorum ſe ſe mutuò urgentium, vel adinſtar fornicis, aut arcus agentium quaquaverſum in ſpongioſis inanitatibus, in quibus conſiſtunt; qua de re pervia, & rara Uteri machina plùs æquo impuris humoribus ſatura tenditur, & conſtipatur; adeòque tumulat, diluit, aut reſtinguit ſpiritus, ut nec vires exerceat, nec vaſorum emiſſariola aperiat pro debito Lochiorum exitu.

Humorum congeries.

Ante, & poſt Partum ſæpè privantur Mulieres debita copia liquidorum, quorum majori, vel minori, potiſſimumque Lymphæ carentia, quodammodò arent machinulæ fibrarum; ac propterea minima liquidorum acida, nimiſque ſalſa ac veluti erodentia olim facta plùs vel minùs penetrant villos, & fibras

Cur Mulieres arent.

bras, easque non nutriunt, sed sorbent, exsugunt, & exsiccant, imò scabris figuris, & angulis, confricationibus, ac fervoribus totum solidum, ac fluidum exurunt; ex quo fit, ut fibrarum constructio ita nectatur, ut contrahi, aptèque restitui nequeat. Hinc tum exsuccæ Uteri spongiolæ, cùm humorum semina lymphæ copia denudata, quasi pumices minutissimis granulis siccæ arenæ onustæ, nec opportuno compressionis conatu urgentur, nec elabuntur, sed ob defectum virtutis compressivæ memoratæ Uteri membranæ forsan nimis aridæ ebibunt confluentes humores; ac idcircò vel Lochiorum materies lentescit, aut evadit in tartarum, & deficit, seu vasorum hiatus claudit, constringit, & præpedit, ne Lochia hujus indolis eliminentur.

Virium laxitas. Item virium laxitas à quavis causa progenita potis est Lochia retardare, præmittit etenim hæc semper vel magnam fluidorum jacturam, vel ingentem eorundem cumulum, seu veriùs laxitatem non mediocrem singulorum villorum, & fibrarum totius Uteri: si primùm, inanes fibræ, & villi Uteri, partiumque finitimarum ejus nativo, quo priùs pollebant robore, privantur; si secundum, magno onere, & infarctu opprimuntur, quin imò laxantur, hebescunt, atque resistunt spiritibus, ne isti satis agant in fibris, & villosis filamentis, & hæc ne circumpressionis vim Lochiorum secretioni congruentem exerceant.

Non desumitur certa Lochiorum imminutio à quantitate effluentis humoris, cum modò plùs, modò minus superflui humoris foràs eliminetur, sed integra-

gra rei cognitio ex ſymptomatibus conjunctis hìc infra examinandis elicitur.

In horum numero ſunt ventris tumor, & dolor occupans etiam lumbos, & inguina; nam edito fœtu fluida tam in tota Mulierum fabrica, quàm in Uteri conſtructione olim congeſta non uti priùs comprimuntur; ſed non raro viciſſim ſtipantur arctiſſimè, ideoque ignis particulæ ubique circumfuſæ non secùs ſe habent ac pulvis nitratus nimis in tormentis preſſus, qui ignem non concipit; unde in minus ſi veniunt ſpatium partes abdominis, & Uteri, non poſſunt memoratæ partes ubicumque compreſſæ, quin tendantur, atque evadant adinſtar arcuum; ac idcircò humores jam coſtipatione coacti, cæterique intrà vaſa circumpreſſi adhęrent, conſiſtunt, ac veluti ibi coaleſcunt. Verùm ſi à preſſione, & circumpreſſione ſupra partium conniſum, & reſiſtentiam urgeantur humores, ſimul moveantur neceſſe eſt circumfuſæ ignis particulæ, aliæque ejus naturam æmulantes ſe ſe debent expedire, etiam atque etiam agitare totam maſſam, & ſecundum majorem vel minorem velocitatem, quam nanciſcuntur, plùs vel minùs humiditatis per diſſecta Uteri vaſa debet eliminari.

Ratum itaque, ac certum reputo, Puerperas interdum minus, quam decet, Lochi deponere, dum vividæ particulæ liquidorum fluentium, ac refluentium ita miriadem arteriarum, & venarum per Uterum, ejuſque proximas partes repentium millies, ac millies permeant, abradunt, ac perterebrant, ut eas plùs juſto calefaciant, ideoque utilem ac inutilem

Fluxus, & refluxus humorum calorem, & ſiccitatem inducit.

lem humiditatem absumant, seu veriùs ustulent integram Uteri constructionem, eamque proinde reddant in similitudinem aridi, rugosi, tumidi, atque contracti corii. A' majori igitur vi caloris proveniet major absumptio fluidorum, majorve partium siccitas, ac propterea lymphæ consumptio, febris, Lochiorumque retentio.

Quò magis verò Uterus stipatur humoribus, eò minùs concipit caloris, nam teste Laurentio Bellini Viro maximo calor est quid valdè mobile, nec nisi sublatis impedimentis ex se ipso se explicat, atque expedit: si igitur humores Uterum fecundantes, illisque circumfusæ ignis moleculæ, ac nimis forsan coercitæ, vel tumulatæ in libertatem, ac motum asserere non possunt, facilè subsistunt & vasa cuncta introrsùm ducuntur, ac veluti inflectuntur ad interiores partes, atque omnino occluduntur. Quantò magis ergò Uterus, aliaque spongiosa peruvia, ac rara organa in abdomine contenta fluidis onerantur, & comprimuntur, tantò minùs moventur humores, minùs atteruntur, & separantur; &, quod deterius est, eorum minima corpuscula semper magis vitiantur, imò indebiti contactus vi singulæ fibræ quasi macerantur, ac quodam molesto sensu cujuscumque genesis filamenta afficiuntur; nam Uteri vascula, Vaginæ, proximarumque partium etsi valdè tamen circumprimuntur, tenduntur, & laxantur, atque adeò obturantur, ut fluxus, ac separatio præpediantur, ideoque humores quodammodò redundant versus renes, inguina, & podicem, ex quorùm canalibus nec possunt tolli, nec imminui; sed ibi ma-

Vi caloris supprimuntur Lochia, & varia symptomata ingenerantur.

magis, magiſque cohærent, conſiſtunt, lædunt, ſenſumque doloris excitant.

Difficultas reſpirandi contingere poteſt per ſuppreſſionem Lochiorum; ſi,quod reliquum eſt, ſanguinis in vaſculis Uteri à Partu ita intimè non dimovetur, ut circuitus, ejuſve ſolutio, nova compoſitio, ſive attritio, quæ naturali mixtioni congruere deberet, non ſuccedat; ſive ad minus ſpatium ita redigantur fluida Uterum perfundentia, ut arteriæ per diutinam diſtractionem, tam à circumfuſo ſanguine, quàm à contento in earum cavitatibus exortam, minimè comprimere poſſint humores, Uterumque premere, & urgere pro ejus repurgatione; vel è contra adeò rareſcant, & ebulliant humores, atque adeò majus ſpatium intra arterias exigant, ut eædem plurimùm diſtractæ valdè tumeant, & urgeant Uterum, ejuſque claudant canales dilaceratos, & apertos; ac propterea ita liquida cuncta depravent, atque irterturbent, ut nulli, vel pauci ſpiritus regenerentur; ac idcirco nec benè in nervos diffundantur, nec in muſculos iatercoſtales inſinuentur, nec in villos vaſorum, aut tracheolarum pulmonis, ſeu veriùs plùs æquo foràs expirent; aut per pulmonum villos diffundi nequeant propter lentorem, humorumque fœdum, ac nimis forſitàm rareſcentem ſubſtantiam, quæ ita violat, & lædit villos contractiles, ut intra illos excidere prohibeat liquida motibus, atque viribus pectoris ritè exercendis neceſſaria.

Variæ cauſæ difficultatis reſpirationis.

Suppreſſis Lochiis inquinentur oportet humores omnes, quorum vitio non tantùm Uterus, ner-

vi, & viſcera, ſed corpus univerſum contaminentur neceſſe eſt, ideoque nervorum ſuccus evadit impurus, cæterique liquores permutant vim propriam, ac indolem, uti non obſcurè percipitur in oculorum turbatione, quorum limpidiſſima liquida brevi evadunt adinſtar aquæ commotæ, atque turbatæ; imò adeò privantur inſontibus, ac lucidis particulis, aliiſque earum vice lutulentis moleculis cumulantur, ut inficiant colorem, ſubſtantiam, motumque perturbent, &, quod deterius eſt, adeò tument oculi, & minima vaſcula repentia per totam faciem, ut facilè humores conſiſtant, vel debitis velocitatibus, aut reciprocationibus careant; ac propterea aſperis, rudibuſque cuneolis ſuis ad contactum partium lateralium venientibus irritent, & inflamment.

Humores retenti ſtimulant, & pungunt.

Cœnoſi autem Puerperarum humores in laxis Uteri vaſculis retenti facilè æſtuant, & ſalſis, acidis, ac tumultuoſis ſeminibus, quibus abundant, irritant quicquid ad contactum venit; imò adinſtar craſſamenti vini diu in dolio retenti, & corrupti diffundunt quacunque effluvia ſua diſſolventia cremorem, quem tangunt; ac veluti tot ſtimulis, quot ſunt corpuſcula effluviorum, ſtimulant, & erodunt laterales partes inanitatum ſpongiolarum, ac vaſculorum totius Uteri, unàque pungunt nervos ibi protenſos, & ſpiritus procelloſos reddunt; ex quo fit, ut fluida cuncta valdè concitentur, tumeant, atque efferveſcant.

Verùm enimverò ſi is detur ſanguis, qui mutuo niſu congeſtarum particularum plenè ſupprimat Lochiorum ſeparationem per Uterum, atque ita vitiet univerſam Uteri ſpongiam, ſuccumque nervo-

rum

rum inquinet, qui ſic contaminatus inſinuetur per nervos in villos, aut inſigni ejus rarefactione hìc premat plùs juſto muſculorum tilias, & fibras, ac proinde intrà ipſas prohibeat liquida motibus, ac viribus exercendis comparata; vel hìc, & (alibi nullo pacto poſſint ſpiritus, aut ſanguis intra villorum tilias quocunque effundi; tunc facilè ſuccedet deliquium tam vitio humoris, qui ex arteriis, quàm qui ex nervis in villos debet confluere, nec illis erit tam apta mixtio, nec tam intima motio, ut Mulieres exerceant vires ſuas, liberèque moveantur.

Sanguis Uteri ſpongiam, nervos &c. lædens deliquium ingenerat.

Etſi vires langueſcunt, dum intercipiuntur Lochia à lentore liquidorum, quibus Uterus præternaturaliter labefactatur, vel à preſſione ſuperaffluentis ſanguinis, ſive à laxitate, atque vaſorum concidentia; aliqua tamen peragatur oportet motio contractionis, ac diſtractionis, ſive preſſionis, aut impulſus; quorum omnium momento fiat pariter neceſſe eſt aliqua extillatio icoris in modum perſpirationis per cutis poros effluentis, ſive per ſudoris glandulas tranſeuntis. Nam ſi humores perducuntur ad Uterum jam debilem vitio anteacti Partus, atque labe retenti Lochii, vel ad totum corpus liquidis plùs, quàm par eſt, imbutum, facilè fiet, ut fluidorum lentor huc, & illuc derivatus, & ubique cohærens exprimi ab arteriis, & abripi in venas liberè non poſſit; imò à ſuperaffluxu liquidorum, quibus aliquantulùm premitur corpus, tunc exprimatur neceſſe eſt quicquid eſt liquidiſſimum, magis magiſque compingitur cum reliquis fluidis, videturque corpus ſudare ſudore frigido.

Cur ſudor frigidus apparet.

Tam noxiæ differentiæ humores plùs, vel minùs in Utero ſtabulantes ſemper magis fiunt ſcabri, ramoſi, acidi, ſalſi, vel lutulenti; ideoque plùs, vel minùs cohærent, urgent, pulſant, erodunt, ac lædunt, & quatenus magis, vel minùs ſcatere videntur iſtis, aut illis particulis exitialibus, majorem, minoremve reſiſtentiam ſuperant percuſſionis, & contactus vires plùs, vel minùs exercent, & æſtuant; ac idcircò quaſi igniculorum particulæ diu ſub cinere conſepultæ ſi in libertatem vindicentur, quaquà penetrant, evolant, & energiam ſuam exequuntur; ita Lochiorum vegetiores particulæ quodam modo nitroſæ, ac nimis ſalſæ, &c. non poſſunt, quin ingentes ictus, ac tumultus inferant, dilanient, uſtulent, ac inflamment.

Inæquales humores varia producunt.

Hoc perſpicuum fit, dum Puerperæ Mania, Phrenitide, ac Pleuritide corripiuntur; nâm in harum prima labe ſanguis in Utero congeſtus vel evadit tam fixus, ut fundi non poſſit; vel lympha, quæ ſeparatur, eſt tam acris, vel ſalſæ, ac erodentis indolis, ut pungere, ac ferè laceſſere nervos videatur, ideoque ſpiritus intervertere, necnon eorum undas procelloſas facere; imò Lochiorum materies tam per fædam concitationem, ſive concretionem viſcidarum molecularum, quàm per exſiccationem, & indurationem earundem in libertatem vindicare poteſt ſpiritus, qui cum à fixis liquidorum corpuſculis tunc elici non poſſint, producantur oportet à vinculis ſalſis, atque calidis lymphæ moleculis, undè derivabitur intra nervos ſuccus igni ſimilis ratione velocitatis impetus, & violentiæ; pro-

Mania phrenitide, ac pleuritide corripiuntur.

proptereaque tumultuosæ musculorum contractiones, atque consimiles specierum excitationes succedent. In earum altera Lochia retenta ad summum caloris gradum perveniunt, & prout magis, vel minùs exsiccantur liquida in Utero congesta, plùs, vel minùs excrescit calor, arent Uteri partes, privantur nervi debita humidi quantitate; ideoque spiritus magis mobiles, liberi, & viscidi progignuntur, confusè, ac tumultuosè moventur, & quaquaversùm cum impetu mille producuntur procellosi resultus, quorum vi excitantur variæ species perturbato, ac dissono spirituum motui respondentes; undè nullo ordine deducuntur in musculos, & organa sensuum, quacunque levi de causa vires indebitæ (& ut breviloquio dicam) iracundia, solicitudo, vigilia, & loquacitas præter rationem excitantur.

Exsurgit harum affectionum tertia, nimirùm Pleuritis, cum suppressa Lochia ditata moleculis viscidis, calidis, salsis, & siccis in circuitu tardè moventur, & cohærent; quod quidem totiès fieri potest in vasculis pulmonis, & pleuræ, quotiès tenuissima vascula per memoratas partes repentia, villique contractiles circumobsidentur glutine, sive lentore, aut eorum spongiosæ inanitates, vel interjecti loculi stipantur fæculentis humoribus: tunc utique activissima spirituum semina liberè non agunt, quia resistentiam inveniunt, ideoque humores satis non urgentur, non pulsantur, nec atteruntur; quin imò magis adhærent, molestè irritant, consistunt, & inflammant.

Verumtamen si retenta Lochiorum materies tanta in copia congeratur, diuque consistat in glandularum tubulis, in fibrarum inanitatibus, cunctisque Uteri vasculis, itaut prohibeat, ne humores fluant, & refluant; sive ne lymphæ madefaciant partes motui destinatas, ne succus nervorum, aut sanguis, sive potiùs utrumque influat in villos, aut ne fibræ, & vasa partium inferiorum nimis forsan pressa, vel lentore subacta urgere, atque humores excipere possint; tunc fiet Paralysis tum Uteri, cùm extremarum partium, quarum nervis, & musculis hæc contingunt, tandiuque motus perdurabit, quamdiu vigebit humor peccans, fibras infarciens, spiritusque præpediens.

Paralysis.

Quoniam verò Lochia non raró ad extremum siccitatis, atque acrimoniæ deveniunt, vividiores ignis particulæ, & spiritus in libertatem asserti vagantur, & sinè ullo ordine, ac subitò invadunt; ideoque nervos, & musculos calefaciunt, stimulant, & concutiunt, ut in hysterica passione accidit: quamobrem illis nullus est ordo in excitatione specierum ab iis pendentium. Si igitur divelluntur, & concutiuntur Mulieres, multum humiditatis amittunt. Notissimum hoc evadit quibuscunque versatis in cadaverum tractatione, Uteri namque membranæ, aliæque partes depræhenduntur inflexiles, non secus ac exsiccatæ pelles; quia salsis, ac vitriolatis humoribus Uterum, nervos, & villos contractiles infarcientibus, adeò concutitur tota fabrica, ut delirio non solùm, ac violentis motibus vexetur, verùmetiam quasi sub prelo ponatur, ac idcircò depromat plurimum humiditatis.

Cur mulieres concutiuntur.

Si

Si igitur post Partum Lochia intra Uteri vasa subsistant, & crassescant, debebunt mille miris modis Mulieres lædere, & maculare, quod quidem non fiet, si iterum Lochia fluxui promoventur. At si mihi fas sit hìc liberè apponere, quæ sentio, præmissa venæ sectione juxta ætatem, temperiem, atque vires, laudarem Trochis. de myrr. ad scrup. 1. bis in die, enemata, fotus, localia, balnea, cæteraque remediorum genera, quibus usus est Sydenham, Senertus, aliique Praticantes peritissimi, quorum monumenta si quis consulat, inveniet ea præsidia, quæ Morbo, causis, & symptomatibus congruunt. *Curatio.*

Quæ omnia sint ad laudem
OMNIPOTENTIS DEI,
DEIPARÆQUE
MARIÆ
SEMPER VIRGINIS.

FINIS.

ERRATA			CORRECTIONES.
Pag. 2	lin. 13	fluxuosis	flexuosis
11	28	Hildanns	Hildanus
	30	Vallsinerius	Vallisnierius
19	28	fiuxus	fluxus
21	28	prexiguam	perexiguam
22	20	naforum	vaforum
	25	confervantur	confervant.
24	7 8	fecretiocis	fecretionis
31	29	prodentibus	prodeuntibus
41	24	monendi	movendi
42	7	depaupertate	depauperatæ
44	9	fellis	follis
52	15	contaminatur	contaminantur
60	27 28	invoutiffima	involutiffima
65	19	ut magis	magis
69	26	confricationeque	confricationemque
85	14	Noceræ	Nuceriæ
98	3	alluvantur	alluantur
99	30	efophagr	œfuphago
109	5	fe ea	fi ea
118	18	fepe	fæpe
	30	ac	hac
130	24	aeqnæ	aquæ
137	1	haa	hac
142	26	habetantur	hebetantur
143	7	limine	lumine
144	22	enomant	evomant
152	9	dimoneantur	dimoveantur
157	ult.	pertenebrent	perterebrent
171	23	nocitatur	vocitatur
189	27	quacumque	quamcumque
207	21	erurctentur	eructentur
211	6	uma	uno
216	15	occarfuum	occurfum
242	10	fue	feu
267	19	ucci	fucci
273	8	foedematofo	œdematofo
274	22	fufcitate	fufcitatæ
285	30	fubftnantia	fubftantia
306	15	æftimantur	æftimatur
315	18 19	angulribus	angularibus
322	24	pravus	pravis
318	19	Saffonia	Saxonia

Errata leviora ipfe, Lector humaniffime, corrigas.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

Cœ-

P

Q

R

S

